FRIDERICVS

I. 10. 0.

ARISTOTELIS DE MORIBVS, quę Ethica nominantur, ad Nicomachũ filium, Libri decem, à IOACHIMO PERIONIO ita nunc demum latinitate (idq; adeò ex ipso Cicerone) donati, ut superior omnis horum conuersio prę hac in plerisq; ridicula ac barbara uideatur.

COMMENTARII EIVSDEM in eosdem libros, in quibus de conuertendis coniungendisq; Græcis cum Latinis præcepta traduntur, ad utriusq; linguæ proprietatem et copiam parandam mirè accommodata.

I. 10. 0

Accessit Liber Ciceronis de Vniuersitate coniunctus cum ea parte Timæi Platonis cui respondet. Itemque Arati Phænomena quæcunq; extant a Cicerone conuersa, in utroq; genere omnes optimum auctorem habeant quem imitentur.

Cum gemino rerum & uerborum in hisce omnibus memorabilium Indice, utroq; locupletissimo.

Inscriptus Catalogo librorum Collegij Romanensis Soc. Jesu

BASILEAE.

G.

Dar Kuratorjum Okr. Szk. Poznańskiego.
Z księgozbioru Gimn. im. Marji Magdaleny w Poznaniu.
1930.

VD16 A 3420

1343099 MI
N. 5307227

I. 10. 0.

ARISTO

TELIS DE MORIBVS, quę Ethica nominantur, ad Nicomachũ filium, Libri decem, à IOACHIMO PERIONIO ita nunc demum latinitate (idq; adeò ex ipso Cicerone) donati, ut superior omnis horum conuersio prę hac in plerisq; ridicula ac barbara uideatur.

COMMENTARII EIVSDEM *in eosdem libros, in quibus de conuertendis coniungendisq; Græcis cum Latinis præcepta traduntur, ad utriusq; linguæ proprietatem et copiam parandam mirè accommodata.*

I. 10. 0

Accessit Liber Ciceronis de Vniuersitate coniunctus cum ea parte Timæi Platonis cui respondet. Itemque Arati Phænomena quæcunq; extant a Cicerone conuersa: ut lector utroq; genere omnes optimum auctorem habeant quem imitentur.

Cum gemino rerum & uerborum in hisce omnibus memorabilium Indice, utroq; locupletissimo.

Inscriptus Catalogo librorum Collegij Romanensis Soc: Jesu

BASILEAE.

G.

Sd 7418 I

BIBLIOT. UNIWERSYT. W POZNANIU

1934. 1197

REVERENDO IN CHRISTO PATRI D. Francisco Bohero, episcopo Maclouiensi, IOACHIMVS PERIONIVS Cormœriacenus S. P. D.

SAEPENVMERO mirari soleo Pontifex sapientissime, quid sit quod libri scripti à Græcis de ijs rebus quę Grammaticorum & Rhetorum artibus continentur, à nostris hominibus qui nostra patrumq; memoria in laude Græcarum literarum excelluerunt, commodè conuersi adhuc sint: Philosophia, quæ uitæ dux, uirtutis indagatrix, expultrix uitiorũ, morumq; magistra & disciplina rectè appellata est à Cicerone, quaq; nullum maius neq; melius hominum generi Dei concessu datum munus est, tam in culto, &, ut uerè dicam, sordido sermone tractata sit, ut ferè neglecta sine ullo splẽdore, & lumine literarum Latinarum iacere

cere uideatur. Nam à Laurentio Valla Thucydidis ac Herodoti, à Pogio Florẽtino Diodori Siculi, à Politiano Herodiani hiſtoria ſic expreſſa eſt Latinis literis, ut ſplendidam eorũ illuſtremq; animaduertamus orationẽ. At uerò in libris Ariſtotelis, qui unus ex omnibus conſenſu ferè bonorum omnium proximè ad inſtitutum noſtræ religionis acceſſit, ob eam que cauſam probatur omnibus, tanta repente ſententiarum ac rerum obſcuritas nobis legentibus occurrit, tanta etiã uerborum inſolentia et ariditas, ut pueri uix primis literis eruditi aptius & loquantur & ſcribant. Quæ rerum obſcuritas & cõfuſio tanta, innumerabiles non ſolum à Philoſophiæ ſtudio abduxit ſemper, uerum etiam inimicos ei reddidit. Ac mihi quidem huius rei cauſam diu multumq; requirẽti, non alia occurrit, quàm quòd uidentur ij qui eloquentia ualebant, cũ à Philoſophia ea, quam dixi, rerum obſcuritate deterrerẽtur, in illis maluiſſe artibus, quantũ interpretando poſſent, experiri, in quibus, quoniam peruulgatæ eſſent,

essent, amplior ornamẽtis orationis esset futurus locus: illi autem, qui etsi latinè scirẽt, tamẽ interpretari aliena sensa disertè nõ possent, cum totos se ad Philosophiæ studium cõtulissent, qui eò lucem quam habebant afferre non potuerunt, tenebras maximas attulisse. In quo neutrorũ equidem contemnere consilium & factum possum, præsertim cum liberum sit eum studiorum cursum, quem quisq; uelit, tenere: in eoq; excolendo, quãtum cuiq; uideatur temporis consumere. Nisi fortè illos reprehendendos putamus, quòd Philosophia deserta & neglecta, idem fecisse uidentur quod ij solent, qui terra, quæ bene culta fructus uberrimos ferat, relicta, mandare semen ijs agris malunt, qui peræquè fructuosi esse non possunt: hos uerò, quòd similiter fecerũt, ut si qui agrum suapte natura fertilem non probis instrumentis colentes, spinosum redderẽt. Quid enim Philosophia uel uberius ad fructum, uel iucundius ad oblectationem, uel melius ad uitam, uel aptius ad dignitatẽ? Cæteræ uerò artes quid

habent ſimile? quæ huius adminiſtræ ut ſunt, ſic uerè & iure dici ſolent. Quo maiore quadam ratione, Pontifex, non iam ut initio feci, miror, ſed uehementer etiã doleo, eã artem à nemine adhuc illuſtratã eſſe Latinis literis, qua relíquę artes omnesq; bonæ res continentur. Hinc meus ille ex Philoſophię amore & natus & ſuſceptus dolor, me noctes diesq; agitans, non antè paſſus eſt conquieſcere, quàm ad hanc partem ægram, quam cæteri negligerent, accederem, efficeremq; quantum conſequi labore & diligentia poſſẽ, ut Philoſophia iterum latinè loqueretur. Audax negotium, impudens etiam, inuidiæq; plenum. Sed nemo inuidiæ metu à rectè factis, quibus præſertim communis omnium utilitas, tantæ etiam rei dignitas continetur, abduci deterreriq; debet. Quanquam mihi ipſe tantum neque ſumo, neque arrogo. Quicquid enim feci quod aliqua laude ſit dignum, ſi modo eſt, id uelim Ciceroni tribui, non mihi. Nihil eſt enim tam deforme, quàm ſi quod ab altero uel didiceris, uel acceperis,

peris, eius laudem & gloriam prærípias illi, tibi assumas. Id autem quale sit ut intellígatur, tibi rationem studiorum meorum breuiter aperiendam putaui. Ego, cũ ineunte adolescentia me ad Ciceronis imitationem contulissem, eumq; semper cum Grecis Latina coniunxisse animad uerterem, ex quo tantum se fructum studiorum cepisse sentiret, ut idem filio faciundum censeret: quod ille filio consilium dedisset, mihi quoque ac omnibus qui studiosis discendi adiumentum aliquod ad dicendum afferre uellent, datum censui. Itaque quum paucis annis pòst studio Græcarum literarum me penitus dedidissem, illud eius consilium sequutus sum: idq; non in Philosophia solum, sed in cæteris etiam disciplinis feci. Hinc mirificos fructus studiorum consequebar. Coniungendis enim his studijs, non modò id assequebar ut Græca melius intelligerem, sed ut quæ Latina Grecis responderent, notarem, ac disertius de Græcis Latina conuerterem. Iam uerò et innumerabiles locos Grecorum,

ut Platonis, ut Aristotelis, Demosthenis, Aeschinis, aliorumq; nonnullorum & in Philosophia, & in Arte dicẽdi non tractatos solum, sed etiam conuersos de Grecis à Cicerone obseruaui, & librum totum de Vniuersitate ex Timæo Platonis trãslatum, cum Græco, nostris Commentarijs eò adiecimus, ut studiosi Græcarum literarum eum sibi tanquam exemplar conuertendis è Græco libris proponant ad imitandum. Has ergo Latini sermonis diuitias & opes si uel celarem, uel mihi uendicarem, quis me iure non reprehenderet? An non necesse esset me alterutrum crimen subire, uel inuidiæ, si occultarem: uel ingrati animi, si uendicarem? Non est igitur iam quod inuidiæ metu de studiosis discendi bene mereri prætermittam, ijs præsertim rebus quas Ciceroni tribuam, mihi non uendicem. Quinetiam omnes mihi potius gratiam habituros spero, quod laudem alteri debitam reseruans, utilitatem ad se uolui peruenire. Sed quum multos multorum libros ab initio studiorum conuertissem, ab eo potissi-

potissimũ initium edendi sumpsi, qui ei studiorum generi quod delegi, uisus est aptissimus. Libri decem sunt Aristotelis ad filium scripti de Moribus, qui grauissimis ad bene beateq; uiuendum sententijs referti, eo gratiores ad omnes uenient, quòd lumina illa quæ in ijs quos cæteri transtulerunt, minus apparebant, in his nostris se omni ex parte ostendũt. In quibus conuertendis non semper id quod et fieri non potest, & Cicero ait facere infidos interpretes, uerbum ex uerbo exprimendum putaui. Nec uero in eo solũ laboraui ut Latina, uerum ut apta etiam & numerosa esset oratio. Quod si nonnullis locis aliquorum aures nimium capaces offendentur, ij cogitare debebunt, aliud esse animi sui cogitationes eloqui, aliud aliena sensa interpretari, quod cũ fecerint, eos fortè habebo æquiores iudices, quanquam multis locis de industria lumen quod potui non attuli: idq; eo feci libentius, quòd omnium rerum sua initia esse debent, quæ suis progressionibus

usa, augeri constituiq; possint. Atq; id tum quale sit (ne de me dicere uidear) cũ alij pleriq;, tum uero tu pro ea doctrina et sapientia qua uales plurimum, iudicare poteris. Hunc autem laborem sic à me deberi tuis immortalibus in me meritis putaui, ut eum alteri te prẽterito sine scelere non potuerim dedicare. Ecquando enim partem ullam tuorum erga me beneficiorum consequar? aut ubi usus erit mei tibi, si in ea facultate nõ fuerit, quam tua tuiq; auũculi D. Dionysij Briconeti clarissimi optimiq; uiri benignitate sum consequutus? Quapropter hoc tam debitum officium ut tibi gratum sit, eiusq; patrocinium suscipias etiam atq; etiam rogo. Sic enim summa tua authoritate fretus, facile omnium & odium uitare potero, & inuidiam sustinere. Vale Antistes amplissime. Lutetię Parisiorum, pridie Non. Maias.

M. D. XL.

ARGVMENTVM IOACHIMI Perionij, Quo horum decem librorum cũ sententia, tum ordo quem seruat Aristoteles, breuiter explicatur.

PHilosophia in tres partes omnis distributa est: in disserendi rationem, quæ λογικὴ à Græcis appellatur: in naturæ obscuritatem, quæ φυσικὴ: in uitã & mores, quæ ἠθικὴ, id est, moralis dicitur. Hæc pars tertia in tres etiam alias diuisa est, ἠθικὴν, πολιτικὴν, & οἰκονομικὴν. quarum prima uniuersam bene uiuendi rationem continet: altera eam, quam sibi proposuerunt ij qui in Reip. luce uersantur: tertia, quam sibi quisq; priuatim in tuenda re familiari domi cum uxore ac liberis constituit. Nisi forte has duas postremas huius, quam tertiam diximus, partes malumus dicere. Hanc tertiam Aristoteles his decem libris tractat. quos quoniam in latinum de Græcis conuertimus, breuiter & quid ijs tradat, & quem seruet ordinem, docebimus. Quoniam igitur bene beateq; uiuendi uiam & rationem tradere his libris instituit, quam beatam uitam, seu beatitudinem, seu felicitatem, seu summum hominis bonum appellat, ab ea capit disputandi exordium, ut intelligatur, quod in omni disputatione faciundum est, quid si id de quo disputetur. In quo docendi rationem sequitur eã, quam in præceptis reliquit. Primum enim, an sit summũ bonum inuestigat, deinde quid sit, postremo quale sit. Esse autem summum bonum ex ui & natura finis, omniumq; qui,

finem sibi aliquem proponunt, consilio & ratione concludit. Deinde quam uim habeat ad bene uiuendum explicat, cuiq; scientiæ sit propositum. Tum in hac tradēda arte, & alijs omnibus, quam & ipse & alij uiam sequi debeant, quemq; animum eos ad hanc percipiendā scientiam afferre deceat qui in ea uersari uelint, exponit. Quid autem sit summum bonum, ut exquirat, primum repetit id quod iam inuenerat, esse summum bonum. deinde omnium qui ante ipsum ratione quadam hunc locum attigerant, enumerat sententias: quòd sua confirmare non potuisset, nisi alienis, quatenus falsa erant & obstabant, refutatis. Itaque & eorum qui illud in uoluptate, & eorum qui in diuitijs, & eorum qui in honore, & eorum qui in uirtute, explodit eijcitq; sententias. Postremo ne magistro quidem Platoni in Idea esse concessit. His illorum explosis sententijs, illud quid sit, ex artificum finibus ijsq; omnibus quæ in eo debent esse exquirit. Tum ad rem propius accedens, quoniam illud & finem esse, & in actione esse oportere iam concluserat, ex officio hominis indagat. Idq; eò facit, quòd finis cuiusque in cuiusque officio & munere ponatur. Quoniam igitur officiū hominis inuenit, uiuere ex uirtute, seu actionem uirtutis, summum etiam hominis bonum in eodem ponit: sed quam uitam intelligeret, quamque uirtutem, explicauit. Nam & in uirtute omnium perfectissima, & in uita completa & confecta summum bonum locat. Tum sententiam suam, ne quis eam reijceret, à sententijs omnium docet non ab

horre-

horrere, qui recte de beatitudine sensisset. In quo explicãdo tacite has duas quæstiones explicat. In quib. bonis summũ bonum hominis numerãdum sit, & num corporis externisq; bonis beatæ uitæ sit opus. Nã diuisione adhibita bonorum, alia animi, alia corporis, alia fortunæ esse, et animi bona cæteris lõge præstare, et in ijs esse summum bonũ docet, ita tamen, ut illa etiam requirat. Interim quale sit summũ bonum, quæ tertia est quæstio, exponit. Nã & optimum quiddam esse, & pulcherrimum, & suauissimum: quæ tria sic coniuncta in eo sint, ut nulla ratione possint distrahi. Et quoniam à nonnullis putari dixerat, summum bonum idem esse quod secũda fortuna, causam efficientem eius exquirit deinceps. Fortunæ tribuendam negat, sed Deo potius: sin minus, certè exercitationi. Cumq; beatitudinem in uita perfecta statuisset, et Priamũ cæterosq; omnes qui similes casus in uita sensissent, deinceps negat beatos esse ducendos: & contra Solonis sententiam, aliquem ducendum dum uiuat beatum ostendit. In qua explicanda quæstione, quoniam de beatis qui è uita excessissent, fecerat mẽtionem, & de mortuis amicis ac propinquis eorum beatorum qui in uita manerent: deinceps quatenus aduersæ res beati, & aduersæ res posterorum uel labefactent uel non labefactent beatam uitam, exponit. Quæ duo nata sunt ex ea, quam summo bono constituerat, definitione. Nam uita completa & absoluta, in qua beatam uitam posuerat, omnes res aduersas ex quibus miseri nominãtur, uidetur excludere. Tũ facta alia diuisione bono-

bonorum, alia laude digna, alia gloriatione, alia nõ eſſe illa quidem bona, ſed eſſe poſſe: in ijs quæ honorabilia ſunt, ſummum bonum oſtendit eſſe ducendum. quæ ad qualitatem omnis pertinet quæſtio. His ita conſtitutis, deinceps eam quam ſummo bono fabricatus eſt, exponit definitionem. Cum enim ſummum bonum in actione uirtuti conſentanea poſuiſſet, illud intellexit, niſi uirtutis natura explicaretur, non poſſe intelligi, quid uellet. Deinceps igitur uirtus quid ſit, ad ſeptimum uſq; librũ docet. In quo id ſeruat, quod in omni re tradenda faciũdum eſt. Quæ latè patent & communia ſunt, partitur, ut cum eam uirtutis partẽ quam exquirit inuenerit, ad eam & definiendam & tractandam, omnem accommodet orationem. Quærit animi uirtutem. corporis igitur uirtutem ſeparat. Non omnem autem animi uirtutem ſibi proponit, ſed eam tantummodo, quæ hominis eſt propria. Excludit ergo omnes eas quæ nobis cum beluis inuenit eſſe cõmunes. Et quia nos beluis ſola ratione præſtamus, animi partes quæ rationis ſunt participes notat et obſeruat, quod ſolæ uirtutes quæ ab ijs proficiſcũtur, hominis ſint propriæ. Partes autem duas tales inuenit, unam quæ per ſe & in ſe ratione utitur: alteram, quæ non per ſe, uerum quatenus illi alteri paret. Hinc duo genera naſcuntur uirtutum, alterum menti attribuit, alterum appetitui. Primum genus tractat ſecundo, tertio, quarto, & quinto libro: alterum ſexto. Illud ſuperius ſic tractat, ut primum ea omnia quæ cõmunia ſunt omnium uirtutum perſequatur, deinde ea quæ propria

ſunt

sunt singularum. Quærit igitur primum quid sit uirtus hominis propria, quoniam quin sit, non est dubium: deinde, qualis sit. Est enim hæc in omni re, ut dixi, tradenda, tenenda uia & ratio. Quid sit uirtus, primum ex eius causa efficiente exquirit. Sunt enim actiones, quē admodum ostendit. Ita uirtutes non sunt nobis tributæ à natura. Ac mihi quidem hoc uidetur tanquam huius artis initium ponere, Omnes habitus & ex sui similibus actionibus gigni, & ab ijsdem interire. Deinceps hanc partem philosophiæ in actione uersari ponit, & omniū uirtutum actiones conuenienter rationi fieri oportere, eadem nimium & parum tollere: conseruare, augere ac tueri mediocritatem. Præponit illud etiam, habitus quales sint, ex uoluptate & dolore qui actionem consequitur, intelligendum esse. Docet deinceps, ex eo uirtutem moralem in doloribus uoluptatibusq; uersari, tum quæstionem ex eo quod præposuerat ortam, explicat. quo loco quid inter artes & uirtutes intersit aperiens, illa tria ponit ad uirtutis actionem necessaria, ut sciens & consultò, & stabili animo omnis agat qui uirtutem & officium sequatur. His ita positis, quid uirtus sit docet, cum habitum esse concludit: tum qualis sit habitus, cum mediocritatis uirtutem esse indagatricem, cuiusq; mediocritatis, exponit. At ne quis putaret, quoniam uirtutem posuerat in perturbationibus, modum exquirere omnibus perturbationibus & actionibus modum apponi posse, quasdam perturbationes & actiones, quæ nomine ipso uitiosæ sunt, separat. Tum quo facilius intelligi

telligi posit quod dixit, inter nimium & parũ uitutem modum indagare, singulæ uirtutes inter quod nimium & parũ sitæ sint, docet, eo ordine unamquanq; cum extremis uitiosis enumerans, quem postea tradendis illis extremo tertio, quarto, quinto q; seruabit. Itaq; hæc omnis descriptio non aliud est, quàm eorum omniũ quæ libris quos dixi tradet, propositio et enumeratio. Deinceps media cũ extremis cõfert, ut quemadmodum inter se affecta sint uirtus & uitia, intelligatur. Cõtraria illa sunt inter se omnia, sed extrema magis inter se pugnant q̃ utrũq; uirtuti: & illud uitiũ uirtuti magis contrariũ est, ad quod simus natura procliuiores. Deinceps uirtutis adipiscẽdæ auget difficultatẽ, ex eo quod inter duo uitia eã locaßet. At ne quis se ad eã peruenire poße diffideret, mox quasi peritus et nobilis medicus, remediũ adhibet. In tertio qualis uirtus esse debeat exponit, primũ quæ uolũtate & contra uoluntatẽ suscipiantur & fiãt, docet, deinde quid sit electio seu propositũ. quod quia inuenit proficisci à consilio & deliberatione, de quibus deliberandũ sit explicat. Et quia uoluntatẽ finis eße dixerat, deinceps quis sit finis uolũtati propositus tradit. His præpositis, uirtutẽ moralẽ uoluntariam eße, & uitiũ uoluntarium, actiones q; uolũtarias eße demonstrat. Deinceps à toto genere uirtutũ ad singulas conuertit orationẽ. Qui sanè locus perfacilis est, ut non magnopere egeat nostris cõmentationibus. Singulis enim tradẽdis uirtutibus hoc fere docet, quibus in rebus quæque uersetur: si in duabus, in utra potius: si in pluribus, in

qua

qua potißimum. Ex his quid ſit quæq; uirtus colligit, ad iectis circunſtantijs. Veluti fortitudo, quoniam in rebus formidoloſis, & ijs quæ animis noſtris fiduciam præbent, cernitur, quærit in utris potius. Eadem eſt ratio temperantiæ. Nam cum in uoluptatibus & doloribus eà cerni dicat, in uoluptatibus potius uerſari cõcludit. Itemq; liberalitas in dandi accipiendiq; rationibus, ſed in largiendo potius cernitur. Si multa ſint genera, traduntur, ut fortitudinis, & iuſtitiæ. Virtutum etiam & eorum qui ijs ſunt præditi, officia & munera exquirũtur. Eadem eſt ratio uitiorũ, niſi quod utrũ uirtuti magis repugnet, exponit. In ſexto libro eundem ſeruat quẽ in ſuperioribus, ordinem. Duo genera uirtutum earum quæ in ratione ſitæ ſunt, ex duobus earũ ſubiectis cõcludit. Quinq; autẽ uirtutes eße ex earũ munere cõmuni, & quid quæq; ſit, ex rebus ijs in quibus uerſentur, colligit. Quæ ijs quinq; attributa ſint, qd ſimilitudinis, quid diſſimilitudinis inter ſe habeãt, docet. Poſtremo quæ cũ prudentia coniuncta ſint, ut recta deliberatio, ſagacitas & ſentẽtia: quid ſapientia & prudentia conferant, & utra melior ſit: quod prudentia cũ uirtutibus moralibus habeat commerciũ. In ſeptimo, octauo, & nono, de ijs diſſerit, quæ non ſunt illa quidẽ in uirtutibus & uitijs, ſed tamen ſunt in bonis & malis. In ſeptimo de continentia & impotentia, de uoluptate & dolore. In octauo & nono de amicitia, quam uirtutem dicit, uel cum uirtute copulatam. In decimo primum de uoluptate & dolore eadem de cauſa diſputat, quod ſcilicet ad uirtutem condu-

conducant. In eo extremo iterum de beatitudine disse rit, ut extrema primis respondeant. Nam ut illud pri mum inueniẽdum est, quod nobis quasi finem proposui mus, & eo inuento rationes quibus ad id perueniri pos sit, exquirendæ sunt, tum postremo id adipiscendũ: Sic Aristoteles, cum in primo libro summum bonum finem esse hominis inuenisset, uirtutesq; omnes quasi gradus quosdam per quos facilis ascensus ad illud pateret, ani maduertisset, per eos omnes gradus cæteris libris conscendens, tandem in eo tanquã adepto conquiescit.

Errata, ab ipso autore castigata.

Pag. 33. uers. 14. in ratione 61. 10. igitur est ea. 87. 6. cum in fiducia 92. 4. modum copia in eo 121. 15. omnis sensus 123. 2. dele, homi nes qui 161. 4. patiendi iuris 185. 15. inue stigent 252. 5. declarant: quæ ex eo. 293. 3. sint quæ 322. 11. & nihil ijs quæ

ARISTOTELIS AD NICOMACHVM FILIVM DE MORIBVS, QVAE ETHICA NOminantur Liber Primus.

IOACHIMO PERIONIO CORmœriaceno interprete.

OMNIS ARS, OMNIS doctrina, omnis actio, omne studium & institutum, ad bonum aliquod refertur. Itaque probè ueteres summum bonum definierunt, id ad quod omnia referuntur. Finium autem genera sunt plura. Vnum eorum qui actione, alterum eorum qui nõ solum actione, sed etiam opere cernuntur. Ac quarum rerũ præterquàm quòd actiones, alij præterea fines sunt, in ijs natura sunt opera meliora actionibus. Et quoniã multæ actiones & officia serant, complures etiam fines extiterunt. Nam et medicinæ ualetudo proposita est, & arti ædificandarum nauium nauis, & rei militari uictoria, & rationi rei familiaris diuitiæ. Quæq; artes eius generis uni alicui facultati subiectæ sunt, (ue

arts ac sciences

lut rei equestri ea quæ frenos conficit, cæteræq; omnes quæ instrumenta equorum tractant, ut hæc ipsa & omnia officia bellica rei militari, itemq; aliæ alij) in ijs omnibus, fines earum quæ principem locum tenent, magis expetendi sunt, quàm omniũ earum quæ sub eas subiectæ sunt: quippe cum horum causa etiam illi expetantur. Nihil autem interest, utrum actiones ipsæ sint actionũm fines, an aliud quippiam.

2 Atqui si quod est rerum agdẽarum ultimum, quod & propter se expetamus, & propter ipsum cætera omnia, nec omnia propter aliud sequimur (sic enim res progredietur in infinitum, ut inanis omnis noster appetitus stultum studium sit futurum) perspicuũ est in eo esse summum bonum, cuius cognitio ad uitam degendam momentũ magnum habet. Nam tanquam sagittarij signum intuentes, facilius decorum assequemur. Quod cum ita sit, danda opera est, ut ipsum & quid tandem sit, & cui sit scientiæ & facultati propositũ, intelligamus. Igitur ei quæ domina est & princeps omnium, propositum esse constat, qualis ciuilis scientia uidetur esse. Nam et quibus in Repub. scientijs utendum sit, & quas quisq; discere debeat, et quatenus, ipsa describit. Atq; etiam facultates eas, quæ in maximo honore sunt, & precio, ut rem militarem, ut rem fa-

rem familiarem, ut rhetoricen, huic subiectas cernimus. Quòd si artes hæc reliquas omnes, quarum omne opus est in agendo, ad usum suum adhibet, præscribitq; legibus quid faciendum fugiendumq; sit, profectò necesse est eius extremo & fine reliquarum fines contineri: ut in ea summum hominis bonum esse uideatur. Etenim si eadem est utilitas uniuscuiusq; & uniuersorum, at Rempublicam tamen & capessere et cõseruare maius quiddã ac perfectius uidetur. Præclare enim se res habeat, si uni, eiq; in solitudine uitã agenti, consulatur: at uero si genti & ciuitatib. multo & pulchrius & diuinius. Atq; hæc quidem ratio, quoniam ciuilis est, in his tota uersatur. In qua explicanda satis longa sumetur oratio, si quantum res proposita feret, explanabitur. Non enim in omnibus disputationibus limatum accuratumq; dicendi genus similiter requirendum est, ut in ijs contingit, quæ ab arte proficiscuntur. Atqui ijs in rebus, quæ honestæ, quæq; iustæ sunt, in quibus ciuilis scientia uersatur, tanta ineſt dissimilitudo, tantus etiam ex ijs error consequitur, ut lege tantummodo, non etiam natura uideantur cõstitutæ: isq; etiam in bonis hæret, propterea quod multi ex ijs detrimenta consequantur. Iam enim alijs diuitiæ, alijs uis corporis exitium perniciemq; 3

attulit. Ergo satis erit, eos qui de rebus eiusmodi uerba faciũt, pingui quadã Minerua, planéq; quid in qua que re ueri sit demonstrare: & qui de rebus quæ plerunq; eueniunt, disserunt, ex his similia concludere. Eodemq; modo accipi probariq; debent quæ dicũtur omnia. Est enim hominis eruditi usuq; periti, subtilitatẽ requirere in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur. Nihil enim interest, utrũ mathematicum, suadentẽ probes, an ab oratore necessariam rationem requiras. Atqui quæ quisq; nouit, de ijs uere iudicat, eorumq; æquus est æstimator. De omni ergo re, uere iudicabit is, qui usu rerum ualet: omnino uerò, qui omni doctrina eruditus est. Quocirca ciuilis scientiæ non est iuuenis idoneus auditor, ~~uacat enim omni uitæ actione: hæc autem de actione~~ oratio est. Iam uerò cum libidini animi pareat, frustra & inutiliter audiet: quandoquidem finis huic propositus non in cognitione, sed in actione cõsistit. Qui, puer sit ætate, an ne moribus puero par & similis, nihil interest. Nõ est enim uitium in tempore, sed in moribus. Cuius generis hominibus, tanquam impotẽtibus, inutilis cognitio futura est. At uero qui rationi suas appetitiones obedientes efficiunt, ij magnum fructum ex hac scientia consequentur. Ac de auditore quidem, quo

Est enim expers officiorum qui uita deerrat

que

que modo quicq; accipiendum sit, & quid nobis proponamus his libris, procœmij loco hactenus diximus.

Quoniam autem omnis scientia, & omne institutum ad bonum aliquod refertur, statuamus quid sit, quò ciuilem rationem referri dicimus, quáque in re sit omnium rerum agendarum extremum bonũ. Constitit quidem ferè inter omnes, quo nomine appellari placeat. Beatitudinem enim & indocti & docti uocant: bene etiam uiuere, & secundis rebus perfrui, idem quod beatum esse existimant. Quid autem sit beatitudo, non constat, de' que eo est inter eos omnis dissensio. nec uero docti & indocti in eodem ponũt. Alij enim in eorum aliquo quæ posita sunt in oculis omnium, ut in uoluptate, in diuitijs, ut in gloria: alijq; in alio: plerunq; etiam idem in alio. Aeger enim in ualetudine ponit, pauper in diuitijs. Qui autẽ sibi conscij sunt suæ ignorationis & imprudentiæ, eos admirantur, qui magnum aliquid, quod eorum etiam uires superet, dicunt. Quidam uero præter hæc complura bona, aliud quoddã esse putant, in quo satis est causæ cur cætera bona sint omnia. Et omnes quidem exquirere sententias, superuacaneum sit: contenti autẽ erimus, si utamur ijs potissimum, quæ extant, quæ' que forti & uirili utantur ratione & sententia. Hoc autẽ 4

obliuiſci non debemus, intereſſe inter rationes eas, quæ à principijs proficiſcuntur, & eas quæ ad ipſa principia referuntur. Rectè enim ho- Plato dubitabat & requirebat, utrum uia eſſet, eá ne quæ à principijs permanaret ad fines, an quæ ad principia ferret. Velut in curriculo, ab ijs qui præmia proponunt ad calcem, an contrà. Initium enim capiendum eſt ab ijs rebus quæ notæ ſunt. quarũ duo genera ſunt: aliæ enim cognitæ ſunt nobis, omnino & per ſe aliæ. Ac nobis quidem certè ab ijs capiendum eſt exordium, quæ ſunt nobis cognitæ. Quocirca qui de rebus honeſtis et iuſtis, et uno nomine ciuilibus, auditurus eſt, is ſit oportet bonis moribus præditus & inſtitutus. Principium enim eſt, rem eſſe. Quod ſi ſit perſpicuum, ipſum quam ob rem ſit perſpicuum, nihil deſiderabitur. Homini enim eiuſmodi aut iam percepta ſunt principia, aut facilè percepta erunt, & cognita. Cui autem horum neutrum ineſt, audiat Heſiodi carmina:

Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Et duris optata tulit ſolatia rebus:
Fortunatus & ille, alium qui recta monentem
Audit, & inuentis ponit ueſtigia lætus:
Qui rebus non conſulit ipſe cadentibus ultro,

Indu-

Inducitq; animum uoces contemnere ueras,
Ille quidem inuisus diuis, & inutilis orbi est.

Nos autem ad eam partem sermonis, ex qua e- 5
gressi sumus, reuertamur. Summum enim bonum & beatitudinem non sine causa ex uitæ genere uidentur existimare ij, qui eam in uoluptate ponunt, ut uulgus, & homines importunissimi. Itaque uitæ degendæ rationem adamant delicatam & uoluptariam. Tria enim sunt uitæ genera, quæ maximè excellunt: hoc, quo de modò diximus: ciuile: & tertium id, quod in contemplatione & cognitione consistit. Ac multitudo, pecudum uitam illa quidem sequi uidetur: sed causa ei est, propterea quòd complures eorum qui potestate et imperio ualent, ijsdem libidinibus quibus Sardanapalus, constricti tenentur. Vrbani uerò, ij' que omnes quorum uita omnis in actione rerum uersatur, beatam uitam in honore putant. Ferè enim ei uitæ generi, quod in Reipublicæ administratione positum est, hic propositus est finis. atqui ab eo quod quærimus distat plurimum. Est enim in ijs potius qui colunt, bonos, quàm qui coluntur. Summum autem bonum, proprium quiddam auguramur, quódque uix possit eripi. Iam uerò gloriam & honorem persequuntur, ut opinionem afferant.

alijs se esse probos: itáque coli, affici'que honore, à prudentibus uolunt, & à notis, id'que ob uirtutem. Perspicuum est igitur, horum quidem ratione & sententia, uirtutem esse meliorem: quam eandem potius quasi finem, propositam uitæ ciuili licet existimare: quanquam à perfecto absolutóque genere absit. Fieri enim potest, ut qui uirtute sit præditus, etiam dormiat, aut in uita nihil agat omnino, & præterea maximis in malis miserijs'que uersetur: eum autem qui sic uiuat, in beatis nisi propositi defensor nemo duxerit. Atque hæc quidem hactenus. Satis enim multa de ijs dicta sunt in ijs uersibus, quos ἐγκυκλίους inscripsimus. Tertium genus est, quod in cõtemplandis rebus cernitur, quod deinceps considerabimus. Nam quæ uita in pecunijs congerendis occupata est, uim desiderat ad se parandam & tuendã: & profectò in diuitijs non est id bonum quod quærimus, quoniam sunt in bonis utilibus qucrum quicque aliò refertur. Quapropter in ijs potius quæ suprà dicta sunt, quia propter se amantur, finem ultimumq; bonorum licet putare. Nec tamen in illis est, quanquam multæ ad id cõfirmandum rationes allatæ sunt
6 & coaceruatæ. Atque his quidem omissis uniuersum bonum considerari est melius, quóque modo dicatur

catur exquiri. Quæ nobis etsi difficilis existit quæstio, quòd nobis amici sint ij, qui ideas induxerunt: tamen æquum est ueritatis retinendæ causa, sua etiam decreta tollere, philosophos præsertim. Etsi enim utriq; chari sunt, tamen præclarũ est pluris æstimare ueritatem. Qui hanc sententiam inuexerunt, non faciebant ideas eorũ in quibus prius posteriusq; dixissent: itaque ne numeris quidem ideam fabricati sunt. At bonũ et in substantia dicitur, et in qualitate, & in ijs quæ cum aliquo conferuntur: quæque per se ipsa sunt & substantia, ijs sunt quæ cum aliquo comparantur, naturæ ordine priora. Propagini enim hoc simile est, eique rei quæ substantiæ accidit. Non igitur esse in his idea communis ullo modo potest. Præterea cum bonum æque pateat, ac natura (dicitur enim in substantia, ut deus, ut mens: & in qualitate, ut uirtutes: & in quantitate, ut mediocre: & in ijs quæ cum aliquo conferuntur, ut utile: & in tempore, ut opportunitas: & in loco, ut mora, quæque sunt generis eiusdem) perspicuum est, summi uniuersique boni commune aliquod unumue bonum esse non posse. Neque enim in prædicamentis omnibus, sed in uno solum diceretur. Iam uerò, quoniam eorum omnium quæ uni ideæ attributa sunt, una tantummodo

esset scientia, necesse esset quoq; bona omnia scientia una cõtineri. Nunc uerò plures sunt etiam eorũ, quæ sub unam categoriam subiecta sunt. ut occasionis, in bello quidem res militaris: in morbo, medicina: et mediocritatis, in cibo medicina, in laboribus gymnastice. Sed quærat aliquis, quid tandem sibi uelint, cũ res singulas ipsius nomine appellant. Siquidem in ipsum hominem & in hominem una eademq; ualet hominis definitio. Neque enim quia homo sit, aliquid inter eos interest. Quòd si ita est, nec quia bonum sit. nec quia diuturnius est, ideo melius bonum: quandoquidem ne alba res quidem in longum tempus duratura, albior est ea, quæ in diem. Ac mihi quidem certè probabilius de eo dixisse Pythagorei uidentur, qui unum in bonorum ponunt ordine, quos Speusippus imitatus est. Sed de his quidem alius est mihi ad dicendum constitutus locus. Ex ijs autem quæ dicta sunt, quæstio quædam suboritur, quoniã de bonis omnibus non sunt adductæ definitiones. Dicitur autem unum genus eorum, quæ per se expetuntur et amantur. Conficientia uero eorum, aut aliquo modo tuentia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliáq; ratione, bona nominantur. Ergo hoc quidem apparet, duo esse bonorũ genera, alia propter se, alia propter illa.

illa. Separatis igitur utilibus, ab ijs quæ per se bona sunt, uideamus, utrum de una idea dicantur. Ea quidem propter se bona quiuis ponat, quæ sola & seiuncta a cæteris sequatur, ut sapere, ut uidere, ut sunt nonnullæ uoluptates, ut honores: (et si enim hæc ipsa propter aliquid aliud sequimur, tamen in ijs quæ per se bona sunt licet ponere) aut nihil præter ideã sit in bonis. Ita superuacanea species futura est. Sin autem hæc quoque sunt in ijs quæ per se bona sunt, necesse erit ut in niue & ceruſa candoris, sic boni definitionem in ijs omnibus eandem declarari. At uerò honoris, prudentiæ, uoluptatis diuersæ sunt definitiones, hoc ipso quòd bona sunt. Non est igitur in una idea cõmune aliquod bonum. Sed quo'nam modo dicuntur? Non enim similia uidentur ijs quorum nomen est commune fortuito. An quia ab uno profecta sunt? an quia ad unum omnia referantur? an potius proportione? Vt enim in corpore aspectus, sic est mens in animo, aliud que in alio. Sed hæc quidem hoc tempore omittenda sunt, quoniam de ijs accurate disputare, alterius philosophiæ magis proprium esse uideatur. Eadem est ratio ideæ. Etenim si quod est bonum quod communiter dicatur, aut si quod est seiunctum per se, perspicuum est id nec agi ab homine posse,

poſſe, nec haberi. Nunc tale aliquid quærimus. Sed forte eius cognitio cuipiã uideatur cõducere ad ea omnia bona quæ agenda ſunt, quæq; adipiſcenda. Nã ſi ipſum tanquã exemplar nobis proponemus, facilius, quæ nobis ſalutaria ſunt, intelligemus: et cũ intellexerimus, conſequemur. Atq; hæc quadã ratione dicuntur illa quidem, ſed ſcientijs artibusq; repugnantibus. Nam cum ad finẽ omnes referantur, requirantq; id ipſum ſemper quod deeſt: tamen eius cognitionem prætermittũt uniuerſæ. Atqui non eſt conſentaneũ, artifices tantum ignorare nec quærere adiumentum. Illud etiam quæri poteſt, ecquid textori aut fabro ad artem adiumenti, ſi hoc intelligant, afferri queat? aut quo tandem modo nobilior medicus, clariorue dux belli ſit futurus is, qui ideam ipſam intuebitur. Conſtat enim, medicum hoc modo non ſpectare ualetudinem, ſed hominis, aut ſingulorum potius. Medebitur enim ſingulis. Atque hæc quidem hactenus.

7 Nunc autem redeamus ad bonum quod quæritur, ut quid ſit intelligamus. Nam ſatis conſtat, aliud in alia eſſe actione & arte: quoniam aliud eſt in medicina, aliud in re militari, cæteris quæ omnibus eodem modo. Quid eſt igitur quod ſibi quiſque bonum ſtatuit, niſi quò refert omnia? Hoc in medicina ualetu-

ualetudo est, in re militari uictoria, in architectura domus, aliud'que in alia: in omni'que actione & consilio finis, quandoquidem eius causa omnes agunt omnia. Quocirca si in uno aliquo est finis rerum agendarum omnium, sit in eo finis bonorum omnium. Sin autem sit in pluribus, in eis ipsis. mutata enim, tamen eodem spectat definitio. Hæc nobis explicanda sunt, sed enodatius. Quoniam autem plures fines sunt, aliosq; propter alios expetimus, ut diuitias, ut tibias, & uno nomine instrumenta: perspicuum est, non esse omnia perfecta. Quod autem optimum est, id omne perfectum. Si ergo unum aliquid undique perfectum est, sit in eo quod quæritur: sin plura, in eorum absolutissimo. Atqui quod propter se expetitur, id confirmamus eo quod propter aliud expetitur, perfectius: & quod nunquam aliò refertur, ijs omnibus quæ propter se & propter aliud expetantur. Quod igitur perfectũ est, id propter se semper, nunquam propter aliud expetendum est. qualis fœlicitas uidetur maxime. Nam & propter se eam, & nunquam propter aliud optamus. At uero & honorem, & uoluptatem, & mentem, & omnes uirtutes ui sua, ex se et propter se illas quidem optamus: quandoquidem detracta omni opinione utilitatis, tamen

eorum

eorum singula optaremus. sed beatitudinis etiam causa eadem expetimus, quod per ea speremus nos summum bonum adepturos. At felicitatem nemo earum neq; aliarum rerũ omnino causa expetit. Quod idem ex eo etiã quod satis sit & sufficiat efficitur. Quod autem bonum undiq; perfectũ est, omne satis esse & sufficere uidetur. Satis autem esse ac suppeditare dicimus ad uictum non ipsi soli, uitã in solitudine agenti, sed parentibus, liberis, coniugi, cæterisq; amicis & ciuibus: quandoquidem homo aptus est ad cœtus societatemq; natura. Sed in ijs certi quidam termini constituendi sunt. Nam si progediamur ad parentes, si ad posteros, amicorumq; amicos, nunquam finis reperietur. Sed hoc iterũ etiam atq; etiam considere mus. Quicquid id est quod se ipsum contentũ sit, statuimus eiusmodi quod solum, seiunctũ, secretumq; à cæteris uitam expetendam efficit, & nihil requirentem. Quo in genere uitã beatã ducimus: quæ si cum cæteris bonis non coniungatur, anteponenda est omnibus. Sin cõiuncta sit, perspicuum est, pluris eam esse, cum minimo bono cõiunctam, quàm separatim. Bonorum enim præstantia accessione eius quod additur ad aliquid, existit. At maximum quodque bonum semper expetendum est maxime. Hoc igitur

iam

iam apparet, fœlicitatem perfectum quiddam esse, omnibus que suis partibus absolutum, seque ipsam esse contentam, cum rerum agendarum omnium sit extremum. Sed fortasse summũ bonum esse in beatitudine inter omnes constat: hic uero locus ut magis explanetur quid sit, postulat. Id iã patebit, si quod sit hominis opus & officium, intelligatur. Vt enim tibicen, quiq; signa fabricatur, omnisq; artifex, ijq; omnes quibus aliquod opus propositum est, uel actio, in opere ipso finem perfectionemq; artis statuunt: sic homini, si quod est eius opus & officium, faciendum esse uideatur. Ergo in fabro erunt & sutore certa aliqua officia & actiones, in homine nulla erunt, natusq; est ad otium? An non ut oculi, manus, pedis, singularumque partium suum est munus: sic homini quoque, præter quàm quod hæc omnia, opus aliquod munusque tribuetur? Quod nam erit illud tandem? Est enim ei cum belluis uita communis. At proprium hominis bonum quæritur. Vita igitur ad alendum augendumque pertinens, semouenda est. Hanc sequitur uita sensu directa. At communis est & equi, & bouis, & animantium omnium. Relinquitur ergo uita ea, quæ in actione uersatur, quæq; ab ea parte animi proficiscitur quæ

rationis

rationis est particeps. Huius porro uis una est, quæ rationi paret: altera, quæ ipsa rationis est particeps & cogitationis. Cum uero huius quoq; uis sit duplex, ea constituenda & ponenda est, quæ actione cernitur. Hanc enim dici est aptius. Quod si ita est, opus officiumq; hominis sit necesse est, animi actio rationi consentanea, aut certè à ratione non aliena. In eodem autem genere huius & illius boni officium ponimus, ut citharœdi, & clari citharœdi: quod contingit in omnibus, addita ad opus uirtutis excellentia. Citharœdi enim est, uti fidibus: nobilis, scitè. Quod cum ita sit, hominis opus & munus in uita quadam ponemus, quæ eadem actio est animi rationi congruens. Quæ omnia, boni uiri est, rectè ac præclarè gerere. At sua quicque uirtute rectè absoluitur, & expletur. Quod si ita est, summum hominis bonum animi actio est, uirtuti cõsentanea. Quòd si plures uirtutes sint, optimæ ac perfectissimæ, idq; in uita undique perfecta. Vt enim una hirundo non facit uer, nec dies unus: sic unus dies, aut breue tempus, non efficit beatum. Atque hoc quidem pacto summum bonum circumscriptum sit. Primum enim ponendum fuit oculis omnium, depingendumq; pingui quadam Minerua, tum postea describendum. Est autem

tem hoc in facultate positum omnium, producere & coaceruare descriptione quæ recta sunt omnia: quarum rerum in tempore posita inuentio est & adiumentum: à quo etiam artes ipsæ à tam exiguo principio profectæ ad tantum decus peruenerunt. Potest enim quilibet id quod deest, addere. Atque etiam meminisse debemus, quod suprà dictum est, subtilitatem non eodem modo quærendam esse in omni disputatione: uerum pro rei quæ proposita sit natura, atq; eatenus, quoad ars & uia tradendi compendiaria patiatur. Nam & faber & geometra non eodem modo rectum angulum inuestigant. sed ille, quatenus est ad opus utilis: hic quoniam spectator est & æstimator ueritatis, quid'nam sit, & qualis, exquirit. Eodemq; modo faciendum est in cæteris omnibus, ne in eo quod attingendum fuit, quàm in eo cuius causa attigimus, longior ponatur oratio. Itemq; haud omnium quærenda & inuestiganda ratio est: nonnullisq; in locis contẽti esse debemus, si rem esse doceamus, ut fit in principijs. Est autem primum & principiũ, rem esse. Principiorum autem alia inductione cognoscuntur, nonnulla sensu, quædam consuetudine, aliaq; aliter. Eorum autem singula diligenter explorata esse debent, quantum natura possunt: dandaq; opera est, ut pro-

bè definiantur, cum præsertim magnum momentum ad ea omnia habeant quæ consequuntur. Quocirca plus principium, quàm dimidium totius rei ualet: eoq; fiunt multa perspicua eorum, quæ indagantur. Atqui cognoscenda fœlicitas est non ex conclusione solùm, ijs que ex quibus conficitur oratio, sed ex ijs etiam quæ de ea feruntur. Nam & congruunt cum uero quæ insunt omnia, & repente uerum dissentit à falso. Cum ergo bonum in tria genera sit diuisum, sintq; alia bona fortunæ, alia animi, & alia corporis: animi bona uerissimè & maximè bona nominamus. Itaq; quoniam actiones animi et officia in animo ponimus, cum præclarè dictum est & aptè ad hanc quidem sententiam quæ & uetus est, et philosophis comprobata: tum etiam rectè, quod in actionibus quibusdam finem extremumq; ponamus. Sic enim totum positũ est in animi cura et cogitatione, nõ in fortunæ temeritate. Cũ ratione hac etiã congruit, quod uulgò dici solet, bene secundisq; rebus perfrui, beateq; uiuere beatũ. Propè enim ab omnibus in honesta quadã uita, & prosperitate posita est: atq; etiam in eo in quo diximus esse felicitatẽ, ea omnia insunt, quæ de beatitudine quærũtur. alijs enim in uirtute uidetur, alijs in prudentia, quibusdã in sapientia, nonnulli eã in his po-

8

nunt,

nunt, aut in horũ aliquo, aut adiuncta, aut non seiuncta uoluptate. alij etiã rerum externarũ adiungunt affluentiam. Atq; hæc est multorum ac ueterũ, illa perpaucorum clarorumq; uirorũ oratio et sententia, quorum neutros ueri simile est omni ex parte aberrasse, sed aliqua, quin etiam magna ex parte rectam uiam secutos. Ac cum ijs quidem qui beatam uitam dicunt omnem uirtutem, aut aliquam uirtutem, consentit definitio: est enim ei actio cõsentanea. Magnopere autem refert profectò, in possessione summum bonum an usu, in habitu an in actione ponatur. Fieri enim potest, ut habitus qui inest, nihil rei præclaræ gerat, ut in dormiente, aut alio modo otioso. At uerò actio nõ potest: aget enim necessariò, et honestè aget. Vt autem in Olympicis ludis, nõ formosissimus quisq; aut robustissimus corona donatur, sed qui in certamen descendunt: (horum enim nonnulli uincunt) sic eorum quæ in uita honesta ac bona uersantur, compotes fiunt ij qui recta quæ sunt faciunt. Quorum uita per se iucunda est, quoniam uoluptate affici in ijs numeratur quæ in animo insunt. Cuius autem rei quisque cupidus est, ea delectatur. Vt equo, is qui amat equos: theatro, qui theatrum diligit. Eodemq; modo rebus iustis lætatur is, qui studiosus est

neſtatis: et rebus quæ ad uirtutẽ pertinent, is, cui uirtus chara eſt. Ac pleriſq; repugnant & nocent iucundæ res, propterea quod non ſua ſponte eiuſmodi. Iis autem hominibus qui ſunt ſtudioſi honeſtatis, ea uoluptatem afferunt quæ ui ſua iucunda ſunt. quo in genere ſunt quæ uirtuti congruunt actiones. Itaque his ſunt uoluptati, idq; propter ſe. Quocirca nihil eorum uita uoluptate indiget, tanquam aduentitia: ſed in ſe ipſa incluſam habet uoluptatem. Nam præter ea quæ dicta ſunt, non eſt uir bonus habendus is, qui honeſtis actionibus nõ lætetur. Neq; enim quiſquam aut iuſtum dixerit eum, qui iuſtis actionibus non gaudeat: aut liberalem eum, qui nõ delectetur officijs liberalitatis: itemq; in cæteris omnibus. Quæ cũ ita ſint, confitendum eſt per ſe iucundas eſſe uirtutis actiones & bonas & honeſtas, ac ſingulas maxime: ſiquidem uerè de ijs uir bonus iudicat: at iudicat, ut diximus. Eſt igitur quiddam optimum, honeſtiſſimum, & iucundiſſimum beatitudo. Nec uero ſeparata hæc ſunt, ex Deliaco epigrammate:

Nil mage iuſtitia pulchrum eſt, melius q; ſalute:
Res iucunda frui, quod ſibi quiſq; petit.

Inſunt enim hæc omnia optimis actionibus, in quibus, aut in una earum optima fœlicitatem eſſe dicimus.

mus. Sed tamen bonis, ut diximus, externis indiget. Vix enim potest, aut ne uix quidem, res magnas & dignitatis plenas gerere is, cui nullæ opes, nullæ suppetant copiæ. Permulta enim efficiuntur quasi instrumentis quibusdam, uel amicorum opera, uel pecunia, uel ciuis dignitate: suntq; nonnullæ res quarum amotio beatam uitam labefactet, ut nobilitas, ut liberi, ut forma. Neq; enim planè ad beatitudinem aptus est is, qui omnino deformis sit, aut ignobilis, aut qui uitam in solitudine degat, aut sit sine liberis: ac multo etiam minus forsan, si cui sint liberi improbi, uel amici boni è uita excesserint. Ergo, ut diximus, has prosperitates uidetur beata uita requirere. Ex quo fit, ut quidam fœlicitatem idem esse quod secundam fortunam statuant. Ex quo existit quæstio, num do 9
ctrina, consuetudine, an alia aliqua exercitatione pariatur, an diuina aliqua causa adsit, an hoc ita sit fortuitò. Ac si quod à dijs aliud datum munus hominibus est, profectò consentaneum est fœlicitatem etiam datam esse à dijs, eo' que maxime, quod rebus humanis melior est & præstantior. Sed hæc non sunt huius disputationis, & temporis. Hoc uerò apparet, etiam si non data sit concessu & munere deorum, mortalium generi, sit' que uirtutis, artis, aut

exercitationis, tamẽ in rebus maxime diuinis esse dũcendam. Virtutis enim merces & finis, optimũ quiddam est, diuinum, & beatum: quod idem late pateat, necesse est. Potest enim inesse ijs omnibus, quorum quidem à uirtute animus aliquo uitio corporis non retardetur, disciplina aliqua & diligentia. Quòd si sic melius est beatum esse, quàm fortuitò, certè ita esse confitendum est. Siquidem quicquid à natura proficiscitur, ita secundum naturam affectum est, ut optime affectum esse possit: item' que cum omnia quæ ab arte causis' que omnibus efficiuntur, tum uel maxime quæ ab optima. Magnum autem scelus sit, rem omnium & maximam & præstantißimam fortunæ ascribere. Atque etiam ex definitione perspici potest quod quærimus. Confirmauimus enim, eam esse actionem quandam uirtuti consentaneam. Reliquorum autem bonorum partim adesse necesse est, partim sunt adiuuantia & utilia quasi instrumenta. quibus consentiunt quæ initiò diximus, Ciuili scientiæ finem esse propositum, summum bonum. Huic autem cura omnis ferè in eo posita est, ut & ciues bonos efficiat, & ad res magnas, & honestas agendas idoneos. Iure igitur nec bouem, nec equum, nec aliud animal ullum beatum ducimus. Nullum enim

nim eorum est huius particeps actionis. Ob eam' que causam ne puer quidem beatus est: quippe cum nondum per ætatem ad has uitæ actiones sit aptus. Qui autem dicuntur, ob spem & expectationem quam de se concitant, ducuntur beati. Opus est enim undique, ut dixi, perfecta completa' que uita. Multæ enim in uita mutationes, uarij' que euentus uersantur: fieri' que potest, ut qui secunda fortuna usus sit, is in maximas incidat calamitates in senectute. quod de Priamo ferunt fabulæ. Qui autem casus eiusmodi senserit, misere' que è uita migrauerit, eum nemo duxerit in beatis. Sed quærat aliquis, num' quis alius, quoad uiuat, iudicandus est beatus: sed Solonis sententia, expectandum extremum tempus ætatis, ut tum denique sit beatus, cum supremum uitæ diem morte confecerit? At id quidem absurdum sit, cum præsertim felicitatem in quadam actione statuamus. Quòd si beatũ negamus eum qui excesserit è uita, nec hoc uult Solon quidem: sed tum deniq; aliquẽ tutò beatũ iudicari posse, cum iam à malis est miserijs q; liberatus. Quanquam de hoc quoq; est dissensio. etsi enim sensus abierit, tamen summis et proprijs bonis et laudis & gloriæ, quãuis non sentiãt mortui, quia uiuũt, non carẽt, ut decore et dedecore liberorũ,

posterorum etiam rebus secundis & aduersis. Hæc quoq; dubitationem afferunt. Fieri enim potest, ut qui beatam uitam usq; ad senectutem protulerit, migraueritq; conuenienter rationi, eum multæ in posteris mutationes consequantur: quorum nonnulli boni uiri sint, degantque uitam ex dignitate, alij contrà. Hoc etiam perspicuum est, eos multis modis in parentum aduersis rebus non eiusdem generis posse affici. Absurdum quidem sit, si is quoq; commutetur, qui oppetijt mortẽ, sitq; aliàs miser, aliàs beatus. Absurdum hoc quoque sit, res posterorum nihil ne ad ullum quidem tempus ad parentes pertinere. Sed redeundum est ad id quod suprà quæsitum est. Eo enim cognito, fortè quod quærimus intelligetur. Si igitur supremus uitæ dies expectandus est, ut tum quisq; beatus existimetur, non quòd beatus ipse sit, sed quod antea fuerit: quid est quamobrem non sit absurdum, cum quisque beatus est, de eo quod inest non uere dici? quod propter uarietatem fortunæ minime placeat uiuos concedere beatos, quod'que stabile aliquid ac firmum, uixq; mutabile, beatam uitam putemus: fortunam contrà sæpe recidere in eosdem. Perspicuum est enim, si euenta sequamur, eundem nos sæpe aliàs beatum, aliàs miserum esse dicturos.

Ita

Ita beatum, chamæleonti ſimilem, nec ſatis firmum, affirmabimus. Atqui non eſt rectum, fortunam conſectari. Non enim in ea poſitum eſt beatum eſſe uel miſerum, etiam ſi hanc humana uita deſiderat. Beatæ autem uitæ dominæ ſunt uirtuti conſentaneæ acti ones, contrariæq; contrariæ. Hanc autem rationem id quoq; cõfirmat, quod quæſitum eſt. Nulla enim in re mortalium tanta ineſt firmitas, tanta conſtantia, ut ijs in rebus quæ uirtute geruntur. Multo enim ſcientijs ipſis & firmiores ſunt, et conſtantiores. quarũ ut quæque præſtantiſſima eſt, ita ſtabilis maximè: idque accidit propterea quòd diutiſſimè in ijs uiuant beati. Quæ cauſa eſt, cur nulla obliuione obruantur. Inerit ergo in beato quod quærimus, talisque per omne tempus ætatis futurus eſt. Semper enim uel maximè ea & geret & cogitabit omnia, quæ uirtuti congruunt: & quemcunq; fortuna caſum inuexerit, hunc maxime decorè & aptè feret: quippe qui uerè bonus ſit, quadratus, omniq; reprehenſione carens. Cumq; multos caſus fortuna inuehat, ijq; magnitudine & exiguitate differant: perſpicuum eſt, eos omnes qui parui & exigui interueniunt, nullum ad uitam momentum habere: qui autem & magni & multi proſperè eueniunt, uitam efficient beatiorem. Nam et ad ſplẽ-

dorem per se ualent, & ad ornatum, et usus eorũ gloriæ plenus est & dignitatis. Qui autem contrà accidunt, ij uitam beatam illi quidem labefactant, (nam & dolores afferunt, & multas actiones impediunt,) sed tamen tum uirtus splendescit, apparétque maximè, cum sedatè ac moderatè quis & multas & magnas perfert calamitates, non indolentia quidem, sed quòd generoso, forti, magnóque sit animo præditus. Quod si sunt, ut dixi, uitæ dominæ actiones, certè nemo qui sit beatus, esse miser ullo pacto potest. Neque enim unquam quæ odio digna sunt, quæque mala, faciet. Eum enim qui uerè bonus sit, quique sapiens, putamus omnes casus fortunæ æquo animo esse laturum: ex ijs etiam quæ sint in potestate, semper pulcherrima quæque facturum. Vt & bonus imperator exercitu eo qui adest semper ut usus belli ferat, commodissimè utitur: & sutor ex ijs pellibus quæ suppetant, calceum aptissimum conficit: eodemq; modo cæteri omnes artifices. Quod si ita est, qui beatus sit, miser esse nullo modo potest. non tamen beatus sit quidem, si in Priami calamitates incidat. Non igitur uarius est, aut mutabilis. Neque enim ex felicitatis possessione facile quis deijci detrudique potest: nec id leues casus, sed & graues & magni efficiant.

ficiant. Quid igitur prohibet nos beatum statuere eum, qui uirtutis perfectæ perfecto fungatur munere, qui que in bonorum externorum satis magna abundantia uiuat, non aliqua parte ætatis, sed in omni uita confecta atque absoluta? aut certè eódem addendum, qui & eam uitam sit acturus, & mortem ex ratione obiturus. quandoquidem incertus est rerum futurarum exitus, & beatitudinem finem esse, ac quiddam omni ex parte perfectũ ponimus. Quæ cum ita sint, beatos ex uiuis dicemus eos, quibus adsint permã suraq; sint quæ enumerata sunt omnia. at beatos homines. Atq; hæc quidem hactenus. Casus autem 11
& res aduersas posterorum ac amicorum omniũ nihil pertinere omnino ad mortuos, ualde ab amici officio alienum sit, sententijsq; omnium repugnare uideatur. Igitur quum multi casus sint, ij que longe ac latè differant, cum que alij magis, alij minus pertineant, singillatim quidem disserere, longum sit et infinitum: summatim & populariter, satis. Vt igitur aduersæ res quæ beato accidunt, aliæ momentum habent ad uitam, aliæ leues sunt, sic eæ omnes quæ amicis. Sed permultum interest, uiuis an mortuis mala contingant: ac multo etiam magis, quàm utrum res iniquæ et nefandæ in tragœdijs antè tractẽtur, an gerantur.

Ratio-

Ratiocinandum igitur etiam est hic, quid quicque interſit: uel potius quærendum est de mortuis, utrum alicuius boni participes ſint, an contrà. Perſpicuum enim est ex his, etiam ſi quid ad eos pertineat, ſiue boni ſiue mali, exile id & exiguum aut omnino aut illis fore: ſin minus, certè non tantam uim in eo eſſe, ut uel beatos eos qui non erant prius efficiat, uel ijs qui antè beati erant, beatam uitam eripiat. Ergo hoc quidem iam apparet, res & ſecundas amicorum & aduerſas, ad eos pertinere illas quidem qui occiderint, ſed ita, ut neque ex beatis miſeros faciant, neque aliud quicquam generis eiuſdem. His ita expoſitis, iam felicitas in bonis ſit laudabilibus, an potius gloriatione dignis, uideamus. Eſt enim perſpicuũ, eam non numerari in ijs quæ ipſa non ſunt per ſe bona, ſed eſſe poſſunt. Igitur hoc apparet, quod laudabile ſit, omne ob eam cauſam laudibus affici, quòd affectione aliqua ſit præditum, & ad aliud quodammodo referatur. Nam & iuſtos, & fortes, & uiros bonos, & uirtutes propter opera, munera, actionesq; laudamus. Et robuſtos, & qui ad curſum ualent homines, cæteroſq; eiuſdem generis propterea laudamus, quòd à natura inſtituti ſint, aptiq; ad gerendas res aliquas quæ in bonis ſunt & honeſtis. Quod ex ijs etiam laudibus quæ dijs tribuuntur,

buuntur, perſpici poteſt. Ridiculas enim eas fore conſtat, ſi ad nos referantur. Hoc fit propterea, quòd laudes, ut dixi, referendo tribuuntur. Quòd ſi laus in eo genere eſt, id perſpicuum eſt, ut quicq; optimum eſt, ita minime ad laudem ualere, multòq; id eſſe & maius et præſtantius. Nam & deos beatos fortunatosq; ducimus: & uiros, ut quiſq; ad Deum proximè accedit. Eadem eſt rerum bonarum ratio. Beatitudinem enim nemo ornat laudibus ut iuſtitiam, ſed quòd multo & diuinior ſit et melior, diuino honore afficit. Rectè etiam Eudoxus uidetur primas partes tribuiſſe uoluptati. Nam cum in bonis eſſet ipſa, neq; laudaretur, declarari putabat, eam rebus omnibus præſtare quæ eſſent laudabiles: in eodemq; eſſe genere deum ac ſummum bonum, quoniam ad ea cætera referrentur. Eſt enim uirtutis laus propria, à qua apti ſumus ad res honeſtas gerendas. Encomia autem ea potius attingunt, quæ tam corporis quàm animi geruntur uiribus. Sed hæc quidem accuratius inueſtigare eorum ſit potius, qui in encomijs elaborarunt: nobis autem ex ijs perſpicuum eſt quæ dicta ſunt, in bonis ijs quæ ad decus ualent, perfectisq; numerari beatam uitam. Quod ita eſſe hinc etiam apparet, quòd eſt principiũ. eius enim cauſa omnes omnia facimus. Principium autem, idq;

omne

omne in quo causa est cur cætera bona sint, gloriati-
13 one dignum & diuinum ponimus. Sed quoniam beatitudo est actio quædam animi, uirtuti undiq; absolutæ congruens, iam uirtus ipsa considerandа cognoscendáque est. sic beatam uitam facilius cõtemplabimur. Atque is quidem uidetur, qui ciuili scientia uere instructus est, huic maximam dedisse operam: quoniam hoc uult, hoc spectat, et ciues bonos efficere, & obedientes legibus. Hoc declarant Cretensium & Lacedæmoniorum legislatores, & si qui alij in eo genere floruerunt. Quòd si hæc ciuilis scientiæ propria est cognitio, perspicuum est, cum eo instituto quod iam inde ab initio secuti sumus, omnẽ hanc congruere & consentire quæstionem. Videndum est scilicet, quod sit hominis bonum. etenim de summo bono hominis quærebamus. Sed uirtutem dicimus hominis, nõ quæ corpus, sed quæ animum attingit humanum: beatamq; uitam, animi actionem nominamus. Quæ cum ita sint, perspicuum est, ut eum qui oculos curaturus sit, totum corpus: sic eum qui ciuili ratione instructus sit, ea omnia quodammodo quæ ad animum pertinent, cognita habere oportere: ac multo etiã magis, quo maior ciuilis scientia & melior quàm medicina est. Atqui clari nobilesq; medici multum operæ

in co-

in cognitione corporis ponunt. Cognoscendus igitur ei animus est, qui ciuili scientia est præditus. Cognoscendus est autem horum causa, & quoad satis sit ad ea quæ quærimus. Nam subtilior accuratiorq; eius explicatio, maioris negotij sit quàm ipsa illa res quã nobis proponimus. De qua quoniam in ijs libris quos ἐξωτερικὸς inscripsimus, satis multa diximus, illinc assumenda sunt quæ ad hunc locum pertinebunt. ueluti unam eius partem expertem esse rationis, participem alteram. Vtrum autem separatæ sint, ut partes corporis, & quicquid ex partibus constat: an cogitatione duæ res sint, quæ sua sponte separari nequeant, quemadmodum in orbe pars quæ conuexa dicitur, et concaua: ad id quod agimus, nihil interest. Eius autem partis, quæ rationis expers est, alia uis est, etiam plantæ communis: eam dico, quæ causa est cur alamur & augeamur. Hanc enim uim animi tum in ijs omnibus quæ aluntur, tum in fœtibus licet ponere, tum etiam in perfectis animantibus. hanc enim aptius est, quàm aliam. Huius rursum alia est cõmunis uirtus, non hominis propria: quippe cum tum maximè cum somnus capitur, hæc siue pars siue uis suo officio & munere fungatur. Atqui bonus ab improbo in somno minimè internoscitur. Hinc negant inter beatos ac miseros

per di-

per dimidiatum uitæ tempus quicquam intereſſe. Idq; iure ac merito accidit, propterea quòd ſomnus animi eſt requies, quia bonus ſit uel malus, niſi ſi quæ motiones paulum oriantur, ac tum meliora uiſa ſunt bonorum quàm quorumlibet. Sed hæc quidem hactenus. Alendi etiam uis prætermittenda eſt, quandoquidem uirtutis hominis expers eſt. Alia autem eſt etiam uis animi rationis expers, quæ tamen eius quodammodo eſt particeps. Nam & continentis impotentisq; rationem, & animi partem eam quæ rationem habet, laudamus. Inuitat enim uera ratio bene ſanos ad iuſtitiam et æquitatem. Conſtat autem in eis aliquid aliud eſſe inſitum præter rationem, quod repugnat obſiſtitque rationi. Vt enim in corpore, ſi quæ partes diſſolutæ dextrorſum moueri uelint, contrà ad læuam feruntur: ſic in animo. diſtrahuntur enim in contrarias partes impotentium cupiditates. Sed in corpore id quod rapit et diſtrahit uidemus, in animo nõ uidemus. Certè nihilo minus exiſtimare debemus, ineſſe quiddam in animo ratione carens, quod ei reſiſtat et repugnet. Quomodo autem ab ea diuerſum ſit, nihil intereſt. Hoc autem, ut dixi, rationis eſt etiam particeps. paret enim rationi in continente: ac multo etiam magis in temperatis & fortibus, in quibus omnia rationi congruunt.

gruunt. Hoc ergo apparet, uim expertem rationis esse duplicem: uis enim ea quæ crescendi causa tributa est, nulla ex parte rationis est particeps: concupiscendi autem & appetendi quodammodo ea utitur, quatenus ei obedit, atq; paret. Atqui eam dicimus compotem quidem & parentis & amicorum, non tanquam mathematicorum. Nam uim expertem rationis parêre quodammodo rationi, & admonitiones, et obiurgationes & adhortationes indicant. Quòd si confitendum est, hanc quoq; uim compotem esse rationis, duplex uis erit rationis particeps: alia proprie & in se ipsa, alia ueluti probus filius obedit parenti. Hac autem distinctione & dissimilitudine etiam uirtus diuiditur. alias enim ratione esse dicimus, alias more perfectas. In ratione sunt, ut sapientia, ut sagacitas, ut prudentia: more perfectæ, ut liberalitas et temperantia. Nam cum de moribus alicuius loquimur, non sapientem eum, uel sagacem dicimus, sed clementem et modestum. sapientem etiam laudamus ob animi habitum: & habitus eos qui laudabiles sunt, uirtutum nomine appellamus.

1 ED cum duo sint uirtutũ genera, alterum earum quas in ratione esse dicimus, alterũ earum quas morales & uoluntarias: rationis quidẽ magna ex parte à doctrina ortum accessionemq; habent. itaq; & exercitationis indigent & temporis. Morales ac uoluntariæ moribus, à quibus nomen duxerunt, quod paulùm à consuetudine deflexit, omnino cõparantur. Ex quo perspicuũ est, nullam omnino moralium uirtutum ingenerari nobis natura. Nihil enim quod insitum & innatũ est, aliter atq; est, assuescit. Vt lapis qui suapte sponte deorsum fertur, nunquam in sublime ferri assuescat, ne si milies quidem eum quis sursum ut consuefaciat emittat. Eodẽq; modo nec ignis deorsum, nec aliud quicq; aliter atq; ipsius natura ferat. potest assuescere. Nõ igitur à natura, neq; contra naturã in nobis insunt uirtutes: sed nati factiq; sumus ad eas et percipiendas natura, et efficiendas cõsuetudine. Iã uero quæ nobis à natura tributa sunt, eorum primum facultates accipimus, deinde officijs munerib.q; fungimur. Quod in sensib. cernere licet. Neq; enim ex eo qđ crebro aut aspeximus, aut audiuimus, sensus accepimus: contraq;

eorum

eorum cum iam essemus compotes, eis usi sumus, non cum usi essemus, percepimus. At uerò uirtutes accipimus, antea cum operis aliquid confectum dederimus. Quod in cæteris fit artibus. Quæ enim facienda sunt cum didicimus, ea tum cum agimus, discimus maxime. Veluti homines tum architecti existunt maximè, cum ædificant: & citharœdi, cum fidibus utuntur. Similiter tum iusti, temperantes, fortesq; efficimur maximè, cum ea facimus quæ iusta sunt, quæ modesta, quæ fortia. Atq; etiam hoc ipsum declarat & docet quod fieri solet in Repub. in quibus legislatores consuetudine & exercitatione ciues bonos efficiunt. Est enim hæc omnium qui leges imponunt sententia et uoluntas. Quod qui minus recte faciũt, aberrant. quippe cum hac una re præstet uitiosæ bene constituta Resp. Iam ex ijsdem rebus oritur uirtus omnis, & ab ijsdem interit. Eadem est ratio artium omnium. Nam ex eo quod utuntur fidibus, et clari et ignobiles citharœdi existunt. Eadẽ est ratio architectorũ, reliquorumq; omniũ. Nam ex eo quòd scitè & perite ædificant, boni architecti futuri sunt: ex eo quòd inscitè, mali. Quod ni ita se haberet, nec rationi ullus esset nec doctrinæ locus, omnesq; docti et indocti nascerentur. Eadẽq; omniũ uirtutũ causa et sententia est.

Nam cum ea facimus quæ pactis cõtinentur, ijs quæ hominibus inter ipsos intercedũt, alij iusti, alij iniusti efficimur. Et cum ea omnia quæ acerba molestáque sunt, agimus, assuescimusq; aut timere, aut præsidere, nonnulli fortes, quidam timidi ignauiq; existunt. Similis est & cupiditatum ratio, & iracundiæ: quoniam alij temperantes & clementes, pleriq; intemperati & iracundi efficiuntur: hi quia sic, illi quia secus in ijs uersentur. Atque ut uno uerbo finiam, ex sui similibus actionibus omnes habitus oriuntur. Itaque faciendæ sunt certo quodam genere actiones, quandoquidem earum differentias habitus consequuntur. Non igitur parui, sed magnopere, atque adeò ad summam refert, utrum sic an secus iam inde à puero assuescamus. Quoniã igitur huic negotio quod suscepimus, non est proposita contemplatio quasi finis, ut cæteris (id enim agimus, non ut quid uirtus sit, intelligamus, sed ut boni efficiamur, quandoquidem usus eius nullus foret) necesse est quemadmodum actiones & officia ducantur, considerare. In ijs enim situm est, quemadmodum dixi, ut habitus quales debent, oriantur. Ac illud quidem commune est omnium, idq; positum sit, rectæ rationi conuenienter fieri: deq; eo differetur posterius, & quid sit recta ratio, & quemadmodum

modum affecta sit ad reliquas uirtutes. Illud autẽ prius constare & conuenire debet, omnem quæ de rebus agendis habetur orationem, populariter, non subtiliter tractari oportere: utq; initiò diximus, rationes pro rei natura exigendas esse. Vt autem in rebus salubribus, sic in actionibus ijsq; omnibus quæ cõducunt, nihil inest firmitatis, nihil stabilitatis, & roboris. Cumq; eiusmodi sit, quæ de genere toto habetur oratio, multo etiam minus certa est quæ de rebus singulis habetur, quoniam nec sub artem nec sub præceptionẽ ullam cadunt. Sed ut in medicina & gubernatoris arte, sic ijs omnibus qui in actione rerum uersantur, temporis habenda ratio est. quanquam autem id est quod nunc agimus eiusmodi, tamen danda omnino opera est ut alleuetur. Hoc igitur in primis intelligendum est, ijs omnibus quæ sunt in hoc genere, ab eo quod nimium & parum est, interitum impendêre natura. (perspicuis enim rebus ad obscuras illustrandas utendũ est.) Id quod licet in uiribus & ualetudine cernere. nã et profusæ et remissæ nimiũ exercitationes labefactant uires, euertunt́q; funditus. & poculenta ac esculenta si modum transeant, uel infra modum adhibeantur, labefactant ualetudinẽ eodem modo: sin moderata sint & modica, pariunt, augent, ac

tuentur. Quod idem, & in temperantia, & in fortitudine, cæteriśque uirtutibus contingit. Qui enim fugit timet́que pericula omnia, quiq; nullum perfert, is timidus & ignauus putandus est: & qui nullum timet omnino, sed adit omnia, is audax habendus. Iteḿque qui omnibus uoluptatibus perfruitur, nullaḿque prætermittit, intemperans: qui uerò omnes prætermittit & cauet, ut solent agrestes, is sensus omnis expers iudicandus est. Tollitur enim temperãtia, tollitur fortitudo ab eo, quod nimium est & parum. At uerò saluæ sunt & incolumes mediocritate dominante. Verùm non solùm ortus incremẽtaq; & interitus ex ijsdem & ab ijsdem efficiuntur, sed in ijsdem etiam actiones uersantur. Etenim ut alijs in rebus quæ euidentiores sunt, id contingit, ueluti in uiribus, ut ex eo gignantur, quòd & multum cibi capiatur, & multi labores ferantur, quod ualens uiribus efficere potest maximè: sic in uirtutibus. Nam & ex eo temperãtes efficimur, quod nos à uoluptatibus abstinemus: et cum ij sumus, ab ijs facillimè abstinere possumus. Similis est ratio fortitudinis. Nam cum et ea quæ terribilia sunt despicere, & eadem magno animo ac forti perferre assuescimus, tum fortes existimus: quales cum sumus, quæ terrorem afferunt, facillime sustinemus.

mus. Habitus autem quales sint, ex uoluptate ac do 3
lore, quæ facta et opera consequũtur, perspici debet.
Nam qui se à corporis uoluptatibus abstinet, eoq; ip-
so lætatur, is temperans: qui id molestè acerbéq; fert,
is intemperans putandus est. Et qui molesta quæ sunt,
forti ac magno animo perfert, ex eo que uoluptatem
percipit, aut certè non fert grauiter, fortis: qui ægrè
fert, is habendus ignauus. Virtus enim moralis ac uo-
luntaria omnis, inhæret uoluptatibus ac doloribus.
Nam & uoluptatum blanditijs deliniti, ad ea geren-
da omnia, quæ praua sunt, impellimur: et dolorũ cum
admouentur faces, à rectè factis deducimur. Itaque
Platonis sententia, institutos esse omnes oportet iam
inde à puero, ut & lætemur bonis rebus, et doleamus
contrarijs. Recta est enim hæc educatio. Iam uero si
in actionibus, & perturbationibus hærent uirtutes,
omnem autem perturbationẽ actionemq; omnẽ sequi
tur uoluptas aut dolor: ob eam certè causam uirtus in
uoluptatibus doloribusq; consistit. Hoc etiã indicant
supplicia, quæ ob eas constituta sunt. medicinæ enim
quædã sunt. At curationes ex dissimilibus contrarijs
que rebus solent effici. Præterea habitus omnis ani-
mi, quẽadmodũ suprà dixi, quib. in rebus positũ est,
ut melior uel deterior gignatur, in ijs uim suã omnem

obtinet. A' uoluptatibus autem & doloribus habitus uitiosi nascũtur, propterea quòd ea quis sequatur aut caueat, uel quæ facienda fugiendaq; non sint, uel quã do, uel quomodo facienda non sint & cauẽda, quæq; sunt eiusdem generis, quæ ratio præscribat. Itaq; uirtutes, uacuitates quasdam perturbationum tranquilli tatesq; animi definiunt. Haud probè quidem, quòd omnino dicant, nec adiũgant quomodo decet, aut quo modo non decet, & quando, & cætera omnia quæ adduntur. Ergo hoc præponitur, uirtutem quæ in hoc genere est, in uoluptatibus doloribus'que uersari, in ea' que ad res optimas gerendas inesse momenta maxima: in uitio, contrà. Quod ex eo etiam perspici potest, quia cum tria sint quæ sequimur, & tria quæ declinamus, honestum, utile, iucundum, & tria quæ superioribus contraria sint, turpe, inutile, molestum: cum in ijs omnibus uir bonus rectè se gerit, & improbus præposterè, tum uel maxime in uoluptatibus. Nam & communis est animantium omnium, & ea omnia consequitur, quæ sub appetitionem cadunt. Etenim quicquid honestum, quicquid utile, id omne iucundum. Præterea quoniam unà nobiscum iam inde ab incunabulis educata est, difficile factu est hãc perturbationem euellere omnino, quæ penitus in uita implicata

plicata insidet. Atq; etiam actiones factaq; nostra dirigimus uoluptate et dolore, alij minus, alij magis. Ob eam igitur causam necesse est in his uersari hoc nostrum institutũ. Non enim in eo parua momenta sunt ad officia & actiones, si quis rectè aut improbe lætetur aut doleat. Præterea difficilius est, ut ait Heraclitus, uoluptati obsistere quàm iracundiæ. At semper ut quicq; habet difficultatis et negotij plurimum, ita in eo potissimũ ars omnis uirtusq; uersatur. Quod enim undiq; perfectum absolutumq; est, id ibi maiorẽ obtinet & splendorem et dignitatem. Quare ob eam etiam causam ut consistat necesse est in dolore ac uoluptate, omnis quæ de moribus et ciuili ratione instituitur disputatio. Nam qui his rectè utetur, is uir bonus: qui peruerse, improbus futurus est. Atq; hoc quidem iam confectum est, uirtutem uoluptatibus doloribusq; coniungi: & quibus ex rebus gignitur, ab ijs & augeri eam & interire, si eodem modo non fiant: eandem à quibus rebus nata sit, in ijs munus suum & officium exequi. Quæret autem aliquis, quid sit 4
cur eos dicamus, qui res iustas efficiãt, iustos: qui modestas, temperantes existere oportere: præsertim cũ si res agant iustas, si modestas, iusti iam sint ac temperantes. Vt si qui grammatici musiciq; munere fungan

tur, ij grammatici sint & musici necesse est. At ne in artibus quidē ita fit. Fieri enim potest, ut quis quid præstet eorum quæ grammatici arte continentur. et fortuitò & alterius præscripto. Ergo tum deniq; grammaticus erit, & si quid eorum quæ grammatici propria sunt, & si grāmaticè faciet: hoc est, si ab ea quæ in eo inest arte grammatica proficiscatur. Iam artiū ac uirtutum nō est eadem ratio, propterea quòd quæ ab artibus proficiscuntur, quoniā laus omnis & præstantia inclusa in ijs ipsis est, satis sit ea certo quodam genere effici. At uerò quæ uirtute geruntur, non si ea quodam modo affecta sint, continuo iustè temperatè ue efficiuntur: sed si is etiam qui faciat, quodammodo sit affectus. primum, si sciens: deinde, si uolens & ultro, idq; eorum causa: tertio, si firmo & stabili animo faciat. Quorum præter scientiam nihil artibus tenēdis percipiendisq; requiritur. Ad uirtutes uerò, cum scientia parum aut nihil ualet, tum nō parua, sed omnia momenta sunt in cæteris. Quæ quidem cōsuetudine iuste moderateq; uiuendi omnia cōparantur. Ergo tum denique res iustæ ac modestæ dicuntur, cum eiusmodi sunt, quales uiri iusti temperantesq; agerēt. Iustus autem & modestus is demum est, non qui eas res gerat omnino, sed qui ita gerat ut iusti & frugales fa-

les faciunt. Hoc ergo uerè dicunt, ex rectè temperatéq; acta uita iustos moderatosq; uiros effici. Quæ qui non faciat, is nunquam est futurus bonus. Sed pleriq; cum hæc non faciant, ita deniq; se & probos fore & philosophaturos putant, si ad uerba confugiãt. Ii simile aliquid faciunt ægrotis, qui medicos illi quidem libenter audiunt, sed nihil eorum quæ præscripta sunt faciunt. Quemadmodum igitur illis nunquam bene habiturum est corpus, qui ita curantur: sic nec his animus, qui isto modo philosophantur.

His expositis, deinceps uidendum est, quid sit uirtus. Quoniam igitur tria sunt in animo, perturbationes, facultates, habitus, ex his tribus unum aliquid sit uirtus necesse est. Perturbationes autem appello, ut cupiditatem, ut iram, ut excandescentiam, timorem, audaciam, ut inuidiam, gaudium, amicitiam, ut odium, desiderium, æmulationem, misericordiam, & omnino ea omnia, quæ uel uoluptas consequitur, uel dolor. Facultates autem, quibus ad perturbationes accipiendas apti sumus, dicimus: ut per quas uel irasci possumus, uel dolère, uel misereri. Habitus uerò sunt, quibus probe uel male affecti sumus in perturbationibus: uelut cum iracimur, si uehementius, uel parum, male: sin medio-

mediocriter, bene affecti sumus: item' que inc æteris. Ac perturbationes quidem nec uirtutes sunt, nec uitia, propterea quòd ex perturbationibus nec boni nec improbi nominamur, ex uirtutibus & uitijs nominamur, quodq; perturbationes nobis nec laudi dantur, nec uitio. Nec enim qui timet laudatur, aut qui irascitur: nec qui omnino irascitur uituperatur, sed qui præter modũ. At uerò propter uirtutes iure laudamur, aut uituperamur. Iam irascimur et timemus incõsultò: uirtutes aut ipsa consilia sunt, aut res gestæ cõsilio. Ad hæc, perturbationibus moueri dicimur: uirtutibus & uitijs non moueri, sed quodammodo affici dicimur. ob easq; causas ne facultates quidẽ sunt. Neque enim eo uel boni dicimur, aut mali, quòd omnino agere possumus, uel laudamur, uel uituperamur. Præterea facultate præditi sumus natura, boni uel improbi nõ sumus, quod suprà ostendimus. Quòd si nec perturbationes sunt uirtutes, nec facultates, relinquitur
6 ut sint habitus. Sed dicendũ est non solum habitus esse uirtutes, sed etiam quales sint. Hoc igitur cõsitendum est, uirtutem omnem, in quo ipsa sit, eum probè affectũ reddere, officiumq; ac munus eius probè exequi. Vt uirtus oculi et ipsum oculũ integrum efficit, et munere illius rectè fungitur. uirtute enim oculi integrè cer-

grè cernimus. Iteḿque uirtus equi, equum generosum efficit, & ad cursum aptum, & ad uehendum eum qui insideat, expectandośque hostes idoneum. Quòd si ita est in omnibus, certe hominis uirtus habitus erit, quo & melior homo efficitur, & officio suo ac munere probe fungitur. Hoc quemadmodum futurum sit, & iam diximus, & nunc ita deniq; perspici poterit, si qualis eius sit natura, etiam atque etiam considerabimus. Licet quidem in omni natura cohærente & continuata, quǽque secari potest & diuidi, & quod præstat notare, & quod superatur, & quod æquale est: id́que uel pro rei natura, uel nostro more. Aequale autem dicitur, id quod medium est inter rem quæ præstat, et eam quæ uincitur. Rei autem medium appello, id quod æquè abest ab utraque extremitate: id́que apud omnes unum idém que ualet et efficit. Nostra autem ratione id medium est, quod nec transit modum, nec deserit, nec unum idém que apud omnes ualet. Vt si decem nimium multa sunt, duo nõ satis, capiant sex pro rei medio. Aequè enim superant atque superantur. Hoc autem medium à proportione arithmetica ducitur. At quod nobis medium est, non ita sumitur. Non enim si cui decem minas edere nimium sit, duas parum, sex minas ludimagister

giſter præſcripſerit. Eſt enim hoc fortaſſe nimium uel parum ei qui capiat, ut Miloni parum, tironi nimium. Eadem eſt & curſus ratio, & luctæ. Ita nimium & parum artifices omnes uitant, mediocritatem & exquirunt, & perſequuntur: ac mediocritatem non rei quidem, ſed quæ à nobis ducitur. Quòd ſi ars omnis & ſcientia ita denique præclare ſuum munus exequitur & abſoluit, ſi mediocritatem intuetur, ad eaḿque ſua opera omnia refert (hinc ſolent de operibus ijs quæ perfecta ſunt & abſoluta, prædicare, nec ijs detrahi quicquam nec addi poſſe, quia nimium & parum omnem præſtantiam laudeḿque artis labefactet, conſeruet́que mediocritas) clari autem artifices eò, ut dixi, opera ſua referũt: et ut natura, ſic certior eſt dux uirtus præſtantioŕque quàm ars omnis: profectò mediocritatis ea ſit indagatrix neceſſe eſt. De ea loquor, quæ uoluntate ac more ſuſcipitur, quæ in perturbationibus actionibuśque conſiſtit, in quibus eſt & nimium & parum & mediocritas. ut & timere & confidere & concupiſcere, & iraſci & miſereri, & omnino gaudere & dolere licet & nimium & parum, quorum utrunque non rectè fit. At uerò quando, quibus de cauſis, quibuś que rebus decet, cuiuś q; rei cauſa, et quomodo æquum eſt hæc

facere

facere omnia, perfectum quiddam est ac optimum, quod quidem in uirtute situm est. Itemq; in actionibus & officijs nimium & parum uersantur, & mediocritas. At uirtus in perturbationibus actionibúsque connectitur: in quibus & nimium & parum in uitio est, mediocritas in laude & rectè factis, quæ duo uirtutis sunt maximè propria. Est igitur mediocritas quædam uirtus, cum medij & perfecti sit indagatrix. Iam peccare licet multis modis, quoniam ut Pythagorei conijciebant, malum infinitum incertumq; est, bonum certum atq; finitum. At uerò rectè facere uno modo licet. Itaq; illud facile, hoc difficile est. Nã & à signo discedere facile est, et ipsum attingere magni negotij. Ob eam que causam nimium & parum in uitio est, mediocritas in uirtute. Boni enim uno modo efficimur, mali modis omnibus. Est igitur uirtus, habitus animi ad agendum impellens, in mediocritate positus, ea quæ nos attingit, ratione sic rectus, ut prudens præscripserit. Mediocritas autem duorum uitiorum est, quorum alterum eo quod superat, alterum eo quod parum est, cernitur: id que uel ob id maxime, quod alia uitia in perturbationibus & actionibus decorum modum que transeant, alia ab eo deficiant: in quibus uirtus & inuenit & seruat mediocritatem.

Quo-

Quocirca uirtus naturâ ſua & definitione qua quid eſſet, explicatum eſt, mediocritas intelligitur: ex rei optimæ perfectæq; ratione, extremitas. Sed non omni actioni & perturbationi modus adhiberi apponiq; poteſt. Sunt enim quædam quæ nomine ſuo uitioſa declarari uidentur, ut maleuolentia, ut impudẽtia, ut inuidia. et in factis, ut adulterium, furtum, cædes. Hæc enim omnia, quæq; ſunt eiuſdem generis, ipſa per ſe uitioſa dicuntur: non eorum immenſi nimium aut parum magni progreſſus. Nunquam igitur in rectè factis eſſe hæc poſſunt, ſed ſunt ſemper in uitio: nec in his talibus illud rectè, aut non recte uerſatur, adulterando uel quando uel quemadmodum opus eſt: ſed quiduis eorũ facere, uitioſum eſt. Quamobrem nihil intereſt, utrum quis moderatam iniuſtitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam quærat, an immoderatas eas, & nimium paruas. Nam iſto modo quidem & ei quod modum tranſit, eumq; deſerit, modum apponere licebit. & ei quod ultra modum progreditur, id quod modũ ſuperat: et ei quod parum eſt, id quod parũ eſt. Vt igitur temperantiæ & fortitudinis nec nimiũ eſt nec parũ, propterea quod mediocritas quodãmodo in ſummo ſita eſt: ſic iſtorum modus nullus eſt, nec nimium nec parum: ſed ut quicque geſtum

ſtum eſt, ita eſt in uitio. Omnino enim nec eius quod nimium eſt & parum modus ullus eſt, nec mediocritatis nimium & parum. Hæc autem non ſolum de genere toto uirtutum dicenda ſunt, ſed ad ſingulas etiam conuenit accommodare. Omnium enim diſputationum quæ de actionibus officijſq; inſtituuntur, eæ quæ ad genus uniuerſum accommodantur, latiſſime patent: quæ autem ad partes, ad ueritatem propius accedunt. In ſingulis enim rebus actiones & officia uerſantur, quibus debet reſpondere oratio. Hæc igitur ex ſubiecta ſunt deſcriptione capienda. Ac in metu quidem & confidentia, fortitudo mediocritas eſt. Eorum autem qui modum tranſeunt, qui timoris uacuitate, uacat nomine: (Sunt autem multa uacãtia nomine,) qui autem confidentia impulſus, modum egreditur, audax confidensq; nominatur. At qui nimium timet, parumq; confidit, ignauus dicitur. In uoluptatibus autem & doloribus, non omnibus quidem, ſed ad corpus pertinentibus, ijſq; potiſſimum quæ tactu percipiuntur, minus etiam in doloribus, mediocritas eſt temperantia: exuperantia, intemperantia. Qui porrò à uoluptatibus nimium abhorreant, non admodum multi reperiuntur, ut ne nomen quidem habuerint. Appellentur ſanè omnis ſenſus expertes. Iam in dan 7

dis accipiendis q; pecunijs mediocritas, liberalitas dicitur: quæ modum transit, prodigalitas: quæ ab eo deficit, auaritia. Contrario q; modo in ijs ultra modum progrediuntur, ab eo q; deficiunt. Prodigus enim largiendo modum transit, et accipiendo abest ab eodem. At uerò auarus, in accipiẽdo nimius est, in dando parcus. Atque hæc quidem nunc populariter ac summatim exponimus, hoc ipso contenti, pòst differemus subtilius. Versantur etiam in pecunijs aliæ affectiones, quarum mediocritas magnificentia nominatur. Nam inter magnificum & liberalem hoc interest, quòd ille in magnis, hic in paruis cernitur. Nimium, ἀπειροκαλίαν καὶ βαναυσίαν: parum, μικροπρέπειαν dicitur, differunt q; ab ijs quæ sunt liberalitatis. Quid autem differant, posterius docebimus. Porrò in honore & infamia mediocritas, magnitudo animi appellatur: exuperantia, elatio animi: defectio, paruus pusillus q; animus. Quam autem rationem liberalitatem ad magnificentiam habere docuimus, paruis differentem, eandem habet ad magnitudinẽ animi quæ in magnis honoribus uersatur, alia quæ in paruo honore cernitur. Licet enim & ut decet honorem gloriam q; expetere, & nimium, & parum. Qui nimia cupiditate ducitur gloriæ, is ambitiosus: qui non satis, uacuus

ab ho-

ab honore appellatur: at qui modum tenet, uacat nomine. Atque etiam affectiones uacant nomine, nisi quod ambitiosi propria est ambitio. Hinc extremi de uacua regione, quæ intra fines eorum quasi media locata est, iudicio disceptant: estq́ue cum nos eum qui modum tenet, ambitiosum nominemus: est cum eum qui abhorret ab honore omnino. Atq; aliàs ambitiosum laudamus, aliàs eum qui nullo honoris studio tenetur. Quod quam ob rem faciamus, deinceps explicabimus. Nunc nostro more differamus de cæteris. Atque etiam in ira exuperantia est, defectio, & mediocritas. Cumq́ue eorum non ferè extent nomina, eum qui modum tenet, clementem, & mediocritatem clementiã mansuetudinemq́ue nominamus. Extremorum is qui ultra modum progreditur, iracundus, & uitium iracundia appellatur. Qui autem parum iraſcitur, lentus: uitium lentitudo dicitur. Sunt etiam tres aliæ mediocritates, finitimæ omnino, sed tamen inter se differunt aliquid. Nam cum in sermonum actionumq́ue societate uersentur, hoc tamen differunt, quod una in ueritate, aliæ duæ in uitæ iucunditate cernuntur. Atq; huius quidem iucunditatis pars altera ludis tribuitur, altera omnibus rebus ijs quæ uitam attingunt humanam. Quamobrem de

his etiam nobis dicendum est, quo facilius in omnibus ferè rebus mediocritatem esse laudabilem perspiciamus, & extrema nec recta nec laudanda, quin etiam uituperanda. Et quanquam permulta sint eorum uocantia nomine, tamen danda opera est ut ijs sicut alijs nomina imponamus, quo & res dilucidior sit, & nos facilius consentanea dicamus. Igitur in ueritate qui modum adhibet, uerax, & habitus ueritas dicitur. Simulatio si in maius progrediatur, arrogantia: & qui eam habet, arrogans. Sin sua nimium extenuet, dissimulationis & dissimulatoris nomine, & crimine notanda. In iucunditate porrò quæ ad lusum accommodatur, qui modum quendam adhibet, is comis, seu urbanus habendus est, & affectio comitas & urbanitas: at quæ modum egreditur, scurrilitas: & in quo ipsa inest, scurra dicitur. Qui uero omnino à ludo abhorret, is agrestis & rusticus, affectio ipsa rusticitas habenda est. Quod autem attinet ad reliquam iucunditatem, eam quæ in uita adhibetur, qui ita se iucundum præbet, ut ratio postulat, is facilis: & mediocritas, facilitas dicitur. Qui modum egreditur, si nulla causa ductus, affabilis: sin emolumēti sui causa, assentator habendus est. At qui omnino abhorret discedit que à modo & ratione, sé que tristem rebus omnibus præbet,

præbet, is seditiosus & difficilis putandus est. Atque etiam in perturbationibus, ijs'que rebus omnibus, quæ in perturbationibus uersantur, mediocritates reperiuntur. Verecundia enim non est illa quidem uirtus: attamen qui pudore afficitur, uerè laudari solet. Nam his in rebus alius modum apponit, alius eũ transit: ut pauidus, qui omni ex re pudore afficitur: tertius, qui à modo deficit, nullaq; ex re omnino pudore afficitur, impudens: qui autem modum adhibet, is pudens & uerecundus dicitur. Indignatio uerò, mediocritas est inuidiæ & maleuolentiæ. Cernuntur autem in ijs ægritudinibus et uoluptatibus omnibus quæ ob eas res suscipiuntur, quæ proximis eueniunt. Qui enim indignatur, is dolet illorum rebus secundis, qui iniuria ijs fruuntur. Inuidus hunc uincens, dolet rebus omnibus. At maleuolus tantum abest ab eo ut doleat, ut etiam capiat uoluptatem. Sed de his quidem alius est mihi ad dicendum constitutus locus. De iustitia autem quando non uno modo dicitur, deinceps diuisione adhibita quemadmodũ mediocritates utræq; sint disseremus, itemq; de uirtutibus quæ rationi attributæ sunt. Cum autem tres sint affectiones, duæ 8
uitiosæ, quarum una immoderata est, altera modo deest, & una uirtus in mediocritate posita, sunt illæ o-

mnes inter se quodammodo contrariæ. Nã extremæ et mediæ affectioni sunt, et inter se contrariæ, et media extremis. Quemadmodũ enim si id quod æquale est cum re minore cõparetur, maius est, sin cum maiore, minus: sic medij habitus, si cũ ijs qui absunt à modo, conferãtur, superant, si cum ijs qui modum transseũt, deficiũt et in perturbationibus et in actionibus. Fortis enim si cũ ignauo conferatur, audax et fidens, si cum audaci uiro, ignauus timidusq; uideatur. Itemq; temperans, si cũ homine qui omnis sensus sit expers, intemperans, sin cum intemperante, nullius sensus uidebitur particeps. Et liberalis cum auaro cõparatus, prodigus, cum prodigo, auarus habebitur. Ideoq; declinant à se ac protrudunt extremi mediũ, uterq; ad alterum, appellantq; fortem uirũ, audax quidem ignauum, ignauus audacẽ. Eademq; est ratio cæterorum. Hæc cum ita sint inter se contraria, maior quædã extremorum inter ipsos, quàm cum medio repugnantia est: quandoquidem longius absunt alter ab altero, quàm uterque à medio. quemadmodum res magna à parua longius abest, & parua à magna, quàm utraque ab æquali. Iam quædam extrema ad medium uidentur quadam similitudine accedere, ut audacia ad ad fortitudinem, auaritia ad liberalitatem. Extremis autem

rutẽ inter ipſos diſſimilitudo maxima eſt. At ea quæ plurimum differunt, contraria definiuntur. Ita fit, ut magis etiam inter ſe contraria ſint, quæ plus diſtant. Medio autem in nonnullis repugnat magis parum, in quibuſdam nimium. Vt magis eſt fortitudini contraria, non audacia quidem quæ modum tranſit, ſed ignauia quæ à modo et ratione deficit. Et temperantiæ nõ ſenſus priuatio, & uacuitas, cum ſit defectio, ſed intemperãtia quæ exuperantia eſt. Id quod ob duas cauſas accidit: una, quæ ex rei ipſius natura ducitur. Nam quia propius eſt atque ſimilius alterum extremum medio, idcirco non ipſum, ſed contrarium magis opponimus. Veluti, quoniam ſimilior eſt audacia fortitudini, diſſimilor ignauia, ideo hanc magis opponimus. Quæ enim plus abſunt à medio, eadem ipſi magis repugnant. Atque hæc quidem cauſa ex rei natura ſumpta eſt: à nobis ducta eſt altera. Nam quas ad res ſumus procliuiores natura, eæ ſunt medio magis contrariæ: ut quia propenſiores ſumus ad uoluptates natura, idcirco ad intemperantiam ſumus quàm ad modeſtiam procliuiores. Quapropter ea magis contraria dicimus, ad quæ maior eſt acceſsio. ob eam'que cauſam magis eſt intemperantia quæ exuperantia eſt, contra-

9 ria temperantiæ. Satis dictũ esse arbitror, uirtutem eam quæ more ac uoluntate suscipitur, esse mediocritatem, quóq; modo esset: ac mediocritatem quidem esse inter duo uitia, id est nimium & parum: eamq; talem esse propterea quòd indagatrix esset modi eius qui in perturbationibus actionibus'que reperiretur. Quocirca difficile est in quaq; re excellere. Nec enim quicquam difficilius, quàm reperire in omni re quod sit omni ex parte perfectum. Vt circuli medium non cuiuslibet est, sed periti tantummodo reperire. Itẽq; irasci quiuis potest, largiri pecunias, sumptusq; facere, idq; facile: at uerò irasci, & largiri pecuniam cui rectum est, & quantum, quando, qua de causa, quóque modo irascendum dandumq; est, nec cuiusuis est, nec facile. Quapropter omnia præclara rara, laudabilia, et pulchra. Quare omnes qui mediocritatem inuestigant et exquirunt, primùm ab eo debent quod magis ei contrariũ est discedere, quemadmodum Calypso monebat:

Tu procul à fumoq; regas, undisq; carinam.

Extremorum enim alterum grauius peccatum est, leuius alterum. Quoniam igitur modum tenere difficillimum est, secunda, ut aiunt, nauigatione minimum malum est eligendum. Quod fiet ea potissimũ ratione, quam

ne, quam docebamus. Videndum est etiam diligenter, quæ ad uitia simus procliuiores. Alij enim ad alia natura procliues sumus. Quod facile ex ea uoluptate et ægritudine quæ nobis accidit, intelligemus. Se autem quisq; ab ea in contrariam partem debet deducere. Longe enim à delinquendo abducti, ueniemus ad mediocritatem. Quod quidem faciunt ij qui ligna cõtorta in rectum dirigunt. In omni autem negocio cum id omne quod uoluptatem efficit, tum uel maxime uitanda uoluptas est: quippe de qua nõ ueniamus incorrupti ad iudicandum. Quocirca quo animo senes illi erga Helenen affecti fuerũt, eodem nos esse debemus erga uoluptatem, ad omnemq; rationem illorũ uox accommodanda est. sic enim dimissa illa & abiecta minus aberrabimus. Vt ergo rem in pauca conferã, hæc si faciemus, facillimè poterimus & consequi & seruare mediocritatem. Arduum hoc profectò, præsertim in rebus singulis. Neq; enim facile est explicare oratione, quo nã modo, quibus hominibus, quibus de causis, & quandiu sit irascendũ. Nos enim interdum homines eos qui minus succensent quàm deceat laudamus, clementesq; appellamus: interdum iratos, uiros dicimus. Sed qui paulum aliquid decorum egreditur, non est in uitio. Qui autem longius euagatur, is

quoniam minime latere potest, non caret reprehensione. Atque is qui uituperandus est, quatenus quantumq; sit, non est facile oratione consequi, nec quicquam eorum quæ sub sensum cadunt: quippe cum in rebus singulis consistant omnia, sitq; in sensu iudicij sedes. Ergo iam hoc quidem perspicuum est, perfectũ habitum in rebus omnibus esse laudabilem: deflecten dumq; esse nũc ad id quod nimiũ est, nunc ad id quod parum. Sic enim quod rectum perfectumq; sit, id nos facillime esse consecuturos.

LIBER TERTIVS.

1 SED quoniam uirtus in perturbationibus actionibusq; inhæret, ac in ijs rebus quæ uoluntate suscipiũtur, laudi & uitio locus relinquitur, in non uoluntarijs, ueniæ, interdũ etiã misericordiæ: profectò explicanda uis est ratioq; earum rerũ quæ & uoluntate et contra uoluntatẽ fiunt, ijs præsertim, qui in uirtutis cognitione uersantur: quæ explicatio conditoribus etiam legũ ad honores decernẽdos, cõstituendasq; pœnas utilis est. Sunt igitur ea nõ uoluntaria, quæ ui fiũt aut imprudẽtia: ui autẽ id fit, cuius causa & principiũ extrinsecus eiusmodi adhibetur, ad quod nihil adiumẽti afferat is qui illud

illud facit aut patitur. ut si quò uentus impulerit, aut potentes homines. At uerò quæ metu maiorũ malorũ, aut honesti causa fiũt, uelut si quis tyrannus dominus parentum & liberorũ, proponat turpe aliquid cui faciendum, hac lege, ut si faciat, incolumes sint ac saluui: sin minus, interficiantur: utrũ sponte an inuitus faciat, magna est quæstio. Eadem est etiam ratio iactu rarũ, quæ fiunt cum tempestates oriũtur. Omnino enim uoluntate sua nemo iaciat, salutis autẽ suæ ac cæterorum causa, omnes qui quidẽ sana mente sint. Sunt igitur mixtæ huiusmodi actiones illæ quidem, sed uoluntarijs similiores. Expetendæ enim sunt tum cũ geruntur: atqui finis actionis in temporis cõditione, ac ratione posita est: uoluntaria igitur ac nõ uoluntaria cum agit, dicenda est actio. At sponte facit, quippe in quo principiũ positum sit commouendarum partium, quæ actionibus eiusmodi perficiẽdis quasi instrumẽta adhibentur. Quarum autẽ rerum in quoq; sunt posita principia, eas ut agat et nõ agat, in eo situ est. Sũt igitur hæc talia uolũtatis. At nõ sunt profectò uolũtatis omnino, quandoquidẽ nemo quicquam eorũ per se expetit. Dantur autem interdum laudi hæc ipsa, cum homines magnarum ac præstantium rerũ causa turpe aliquid aut triste perferunt: sin cõtrà faciant, uituperantur.

rantur. Quæ enim ipsa fœdissima sunt, ea rei nullius præclaræ & honestæ causa sustinere, est in uitio. Ac sunt quædã, in quibus laudi locus nullus relinquitur, sed ueniæ duntaxat: cum ea quis facit quæ non sunt facienda, ijs impulsus omnibus quæ & humanam naturam longè multumq; superant, et nemo possit sustinere. Sunt autem quædam certe partim ita fœda, partim ita flagitiosa, nemo ut ad ea impelli iure possit: potiusq; oppetenda mors est grauissimis toleratis cruciatibus. Etenim ridicula uidẽtur ea, quæ ad cædem maternam Alcmæona Euripidis impulerunt. Difficile autem est interdum, quid cui præponendum sit, quidq; pro quo perferendum iudicare. Difficilius etiam est stare, in eo quod sit iudicatum. Ferè enim & quæ expectantur, molesta interueniunt: & quæ impellunt, turpia. Hinc laudem & reprehensionem qui inducti sunt aut non inducti, consequuntur. Quæ igitur ui dicenda sunt fieri? An omnino cum causa extrinsecus est, et qui facit, nihil adiuuat? Quæ autem per se sunt non uoluntaria, per occasionem uerò, horum causa expetẽda, eorũq; in eo qui agit principia inclusa sunt genere: non uoluntaria sunt tempore, horumq; causa uoluntaria, potiusq; accedunt ad uoluntariorum naturam: quippe cum in rebus singulis, quæ uoluntate geruntur,

runtur, actiones factaq; uersentur. Quid autem cui sit anteponendum, non est facile exponere. Multæ enim sunt in rebus singulis differentiæ ac dissimilitudines. Quod si quis iucunda quæ sunt & molesta, uiolenta dixerit, quòd cum extra sint, uim adferant, & cogant: eadem ratione uiolenta ei sunt futura omnia. Horum enim causa omnes omnia faciunt, qui ui quidem coacti inuitiq; faciunt quippiam, ijs molestiam, qui iucunditatem sequuntur, ijs malum affert cum uoluptate. Atqui ridiculũ est igitur ea accusare quæ externa sunt, non seipsum potius qui à rebus eiusmodi facilè capiatur: resq; præclaras sibi, fœdas & turpes attribuere uoluptati. Hoc igitur iam quidem apparet, ui id fieri, cuius principium cum extrà sit, nihil id cui uis infertur, adiuuat. Quod autẽ fit imprudentia, non est omne uoluntarium: at quod est non uoluntarium, idem molestum est, et causas affert pœnitentiæ. Nam qui imprudens fecerit quidlibet, nec se id egisse moleste fert: non fecit ille quidẽ sponte quod ignorauit: nec rursum inuitus, cum minus ægre ferat, quod fecerit imprudens. Quem igitur facti pœnitet, is inuitus: quem non pœnitet, is quoniam alius diuersusq; ab illo est, appelletur sanè non uolens. quoniam enim ab altero differt, aptius est habere nomen. Aliud etiam est impru-

imprudẽtia facere, aliud imprudentẽ. Non enim ebrioſus & iracundus uidetur quæ facit, errore et imprudentia ductus facere, ſed ob aliquid eorum quæ diximus: nec ſciens, ſed imprudens. Ac ignorant quidem improbi omnes quæ facienda ſunt, quæq; fugienda: iniuſtiq; ac mali omnes ex eo errore naſcuntur. Nec ſi quis quod utile ſit ignoret, quod aget dicatur nõ uolũtarium. Neq; enim imprudentia et ignorantia ea, quæ ab animo & uoluntate ſuſcipitur & proficiſcitur, nõ uoluntarij cauſa eſt, ſed peccati: neq; rerum uniuerſarum, quandoquidem ea culpatur, ſed rerum ſingularum, in quibus omnis uerſatur actio. In his enim locus eſt & ueniæ & miſericordiæ, quoniam qui eorum aliquid ignorat, facit inuitus. Sed nõ alienum eſt, quæ quotq; ſint exponere. Videndum igitur, quis nã, quid que agat quisq;, & qua in re uerſetur actio: interdum etiam quo quaſi inſtrumento, cuiusq; rei cauſa, ut ſalutis: & quo tandem modo, ut remiſſe an uehemẽter. Atq; hæc quidẽ omnia nemo ignorare poſsit, modò ne ſit inſanus. Perſpicuum id quidem eſt de eo qui agat, quoniam quî ſe ignorabit ipſum? Quid autẽ agat, aliquis ignoret, ut cum ſibi aiũt excidiſſe, aut ſe neſciſſe occulta & arcana eſſe, ut Aeſchylus myſteria, aut cum uellet monſtrare, miſiſſe telum, ut is qui catapultam.

tam. putet etiam aliquis filium hostẽ esse, ut Merope. et hastam orbicularis figuræ, quæ lanceæ in formam directa sit. & lapidem esse pumicẽ, & interficiat qui salutis causa ferit. et qui docere uelit, uerberet, ut faciunt ij qui extremis manibus luctantur. Cum igitur in his omnibus error & imprudentia uersetur, in quibus actio, cum is qui eorum aliquid ignorabit, feciſſe uidebitur inuitus, tum qui eorũ ignarus erit quæ principatũ obtinent. Principes autẽ sunt, in quibus cernitur actio, & finis. Et quanquã ex illa ignoratione & imprudentia, quod est non uoluntariũ omne nominetur, tamen debet esse præterea molesta actio, & pœnitentiæ plena. Quoniã autẽ quod est nõ uoluntariũ, est quod ui fit & imprudentia: uoluntariũ esse uidetur, id cuius in se principiũ continet is qui scit res singulas, in quibus actio uersetur. Profectò enim non recte dicuntur nõ uoluntaria esse, ea quæ uel ira fiunt, uel cupiditate. Primũ enim, nullũ aliud animal sponte faciet. Deinde quæro, utrũ nihil omnino eorum quæ ira uel cupiditate impulsi facimus sponte, ac uolũtate nostra facimus? an uero honesta quæ sunt uoluntate, quæ turpia, inuiti? an non id ridiculũ sit, cum præsertim una sit eorũ causa? Absurdũ etiã sit non uolũtaria dicere ea, quorũ teneri cupiditate decet. Atqui decet,

& com-

& commoueri quibuſdam in rebus, & nonnullarum duci cupiditate, ut ualetudinis, atq; doctrinæ. Satis etiam conſtat ea moleſtiam afferre omnia, quæ inuiti facimus: quæ uero cupide & ſtudioſe, oblectationem habent. Iam uero quid intereſt, utrum non uoluntate fiant, eá ne in quibus ratione, an in quibus ira peccatur? Vtraq; enim fugienda ſunt: nec minus uidentur eſſe hominis propriæ quæ ſine ratione ſunt perturbationes. Atqui actiones hominis uel ab ira, uel à cupiditate proficiſcuntur, quas abſurdum eſt in non uolũ-
2 tarijs ponere. Expoſitis ijs quæ & uoluntate, & inuiti homines faciunt, ſequitur, ut de electione ſeu conſilio dicendum eſſe uideatur. Nam et uirtuti coniuncta eſt maximè, et mores magis quàm actiones ipſa diſtinguere uidetur. Electio igitur eſt illa quidem uoluntaria, ſed tamen non idem quod uoluntariũ, idq; adeò, quod uoluntariũ eſt, patet latius. Eius enim quod ſponte fit, & pueri ſunt & beluæ participes: conſilij non ſunt, nec electionis. Nec mihi quidem rectè uidentur dicere ij qui conſilium ſiue electionem uel cupiditatem aiunt eſſe, uel iram, uel uoluntatẽ, uel quandam opinionem. Non enim communis eorum etiam electio eſt, quæ ſunt expertia rationis: cupiditas & ira ſunt, & impotentes cupiditate, non ratione aut

conſilio

consilio ducuntur ad agendum: contra'que continentes iudicio & ratione, non cupiditate ac libidine. Præterea consilio contraria cupiditas est, cupiditati cupiditas non est. Cupiditas etiam uoluptatis est & ægritudinis, consilium nec uoluptatis nec ægritudinis. Multo etiam minus ira, quoniam minime uidentur quæ per iram fiunt, consultò fieri. Nec uoluntas quidem, etiam si ad eam proxime accedere uideatur. Institutum enim ac consilium non est eorum quæ fieri nequeunt: quod si quis hæc sibi proposita esse dicat, insanus esse uideatur. At uoluntas in ijs etiam quæ fieri non possunt, ut in immortalitate, uersatur. At uoluntas in ijs etiam cernitur, quæ ipsa à nemine unquam per se gerentur: ut aliquis uult histrionem quendam athletamq; uincere. At nemo hæc talia suscipit, sed ea omnia, quæ à se putat posse administrari. Iam uerò finem potius spectat uoluntas, consilium & susceptio ea quæ ad finem pertinent. Vt ualere uolumus, deligimus autem quibus ualetudinem adipiscamur, & beati esse omnes uolumus, idq; prædicamus. At illud nobis propositum esse prædicare, ac præ nobis ferre non decet. Omnino enim in rebus ijs uersatur consilium, quæ sunt in nostra potestate. Nec opinio quidem certè esse posit, quoniam in rebus omni-

bus cernitur opinio: nec minus æternis, & quæ fieri non possunt, quàm ijs quæ in nobis sitæ sunt. Præterea in falsam ac ueram diuiditur opinio, non in malam & bonam: in quibus institutum & consilium potius cernitur. Non igitur idem est quod opinio omnino, nec id forte quisquam asserit. Nec uerò idem est quod quædam opinio. Cum enim bona uel mala quæ sunt, nobis ad faciendum proponimus, tum quodammodo affecti sumus: cum sumus in opinione, non sumus. Et constituimus uel facere, uel declinare, & si qua sunt eius generis. At quid quicq; sit, quam que ad rem conducat, et quemadmodũ conducat, existimamus: faciendum autem aliquid, aut uitandum, non admodum opinamur. Præterea institutum laudatur quòd sit eius rei quæ honesta est, potius quàm quod rectum sit: at opinio, quod sit uera. Atque ea deligimus, quæ scimus optima: ea opinamur, quæ non certò scimus. Nec ijdem uidentur sequi & iudicare, quæ sunt optima: nonnulliq; sunt qui optime sentiant, sed uicti cupiditatibus et uitijs, quæ mala sunt sequũtur. Nec uerò, utrũ antecedat opinio ac iudicium id quod statuitur, an consequatur, quicq; interest: non enim id agimus, sed utrum sit idem quod aliqua opinio. Quid igitur, aut quale est institutum & consilium,

quan-

quandoquidem in nullo est superiorum? Ac illud quidem apparet, uoluntate ac iudicio suscipi. nec tamen quicquid uoluntarium est, id omne etiam deligendum est, nisi cum antegressa est deliberatio. Nam cum ratione & mente coniunctũ omne consilium est. quod nomen significat, Præpositum enim ex eo appellatum est, quod præponatur alijs. Consultant autem 3
homines, utrum in deliberationem cadant omnia, an de quibusdam non capiatur consilium. Cui quæstioni sanè respondendum est, cadere in deliberationem non ea de quibus stultus aliquis uel insanus deliberet, sed de quib. solent ij qui sana mente sint. Sed de rebus æternis nemo consultat, ut de mundo, de diametri, laterisq; dimetiẽdi ratione. Nec de ijs quidem, quæ motu cõtinentur. Iam uerò nihil eorum cadit in deliberationem quæ per se ipsa semper eueniunt, siue necessitate, siue natura, aut alia aliqua causa, ut solis conuersiones & ortus. Eodem modo de ijs iudicandum est, quæ aliàs aliter eueniunt, in quo sunt genere siccitates et imbres. Nec uerò aut ea quæ casib. fortunæ subiecta sunt, qualis est thesauri inuentio, aut res omnes quæ naturã attingunt humanã, cadunt in deliberationem. Neq; enim quemadmodum optime Remp. Scythæ administrare possint, Lacedæmonij deliberant.

nihil enim eorum per nos fieri potest. At de ijs consilium capimus, quæ sunt in nostra potestate ut eueniant, quoniam illa sola reliqua sunt. Horũ enim causa est, uel natura, uel necessitas, uel fortuna: præterea mens, & quicquid ab homine geri potest. Singuli autem homines de ijs deliberant, quæ per se ipsi efficere possunt. Nec uerò de artibus ac scientijs ijs quæ certæ sunt, & se ipsæ contentæ, ullum consiliũ capitur. quales sunt literæ, quæ quo'nam modo scribendæ sint, minime dubitamus. Sed quæ à nobis effici possunt, non autem semper eodem modo, ea demum cadunt in deliberationem. ut ea quæ medicina, numulariorum, et gubernatoris artes tractant potius, quàm quæ gymnastice, quo minus certæ sunt. Simulis est ratio cæterarum. Sed sæpius in deliberationem cadunt ea quæ ab artibus, quàm quæ à scientijs proficiscuntur, propterea quòd magis ea ueniunt nobis in dubium. Consilij autem capiendi deliberatio partim in ijs cernitur quæ plerunque eueniunt, cum incertum sit quam in partem inclinare ac euenire debeant: partim in ijs quæ infinitæ incertæq; sunt. Ad res autem magnas eligendas, homines in consilium adhibemus, nobis ipsi diffisi, quasi minus ad statuendum simus idonei. Deliberamus autem, nõ de finibus, sed de ijs quæ

ad fi-

ad fines pertinent. Neq; enim aut medicus an curet consultat, aut orator an persuadeat, uel ciuilis officij peritus an legem condat, uel alij artifices de eo quem sibi proposuere finem: sed omnes propositum sibi finem quemadmodum & quibus rebus assequantur, inquirunt. Quòd si compluribus ad eum rationibus peruenire posse constet, tum qua facillime & optimè possit, inuestigant. Sin una uia perfici queat, quemadmodum per hanc assequantur, considerant, ad illam' que per quam perueniant, dum ad primam causam uentũ sit, quæ in inueniendo postrema est. Nã qui capit cõsiliũ, is inquirere, ac in minutissimas quasq; partes id de quo deliberat quasi lineam ducere uidetur. Illud autẽ apparet, non omnem quæstionẽ esse deliberationẽ, deliberationem uerò omnẽ esse quæstionem. etiã illud apparet, quod sectione extremũ est, id primũ esse origine. Quòd si in tale aliquid inciderint, quod fieri nequeat, uelut si pecunijs sit opus, nec possint alicũ de suppetere, tum à re proposita se abstrahunt: sin autem fieri posse constiterit, tum omnes neruos intendunt, ut efficiant. Atqui ea fieri possunt, quæ à nobis possunt effici. Nam quæ amicorum opera curantur, per nos fiunt quodam modo, quia principium in nobis situm est. Quæruntur autem aliàs instrumenta, aliàs

usus eorum, itemq; in reliquis, interdum qua tandem re, aliquando quibus, aut qua ratione res cõfici queat. Atq; homo uidetur, quemadmodum dixi, principium esse actionum: consilium autem in ijs uersari, quæ ab eo agi possunt. At actiones aliorum causa sunt, alioq; referuntur. nunquã igitur cadet in deliberationem finis, sed ea duntaxat quæ ad fines pertinent atq; conducunt. nec res singulæ quidem, ut panis hic utrũ rectè concoctus, an confectus sit nec ne. quoniam hæc cadunt sub sensum omnia: de quibus si semper delibe ret aliquis, res ad exitum perduci non queat. Quod autem in deliberationẽ cadit & in delectum, eadem sunt: nisi quod iam secretum est ac selectum id quod sub delectum cadit. Quod enim de consilio statutum iudicatumq; est, id demum propositum dicitur. Tum enim quisq; desinit quemadmodum quicq; gerat exquirere, cum principium ad rem quam uult aggredi, retulerit, atq; id ad ipsum, quod est ex eo cõsequens. Hoc enim suscipiendũ est. Quod ex ueteribus etiam Rebuspub. quas Homerus imitatus est, potest perspici. Quæ enim reges suscepissent, de ijs ad populum referebant. Quoniam autem id quod sub delectum cadit, est quod in deliberationem appetitionemq; cadit eorum quæ in nostra sunt potestate: profectò propositum

ſitum ac inſtitutum ſit neceſſe eſt appetitio eorũ quæ in noſtra ſunt poteſtate, cum antegreſſa eſt deliberatio. Iudicio enim ad deliberationem quæ anteceſſit adhibito, tum ſequi conſiliũ cupimus. Ac propoſitũ quidem quid ſit, quibusq; in rebus uerſetur, in ijs ſcilicet quæ ad fines ſpectant, populariter planeq; dictũ eſt. Voluntatẽ autem in fine uerſari diximus. ſed a- 4
lijs in eo uerſari uidetur quod uere bonũ ſit, alijs in eo quod bonũ uideatur. Atqui conſequens eſt, ut qui bonũ ſub uoluntatem cadere dicant, etiã fateantur, non eſſe bonũ quod is uelit, qui minus rectè approbat. Si enim uoluntate appetatur bonũ, etiam ſit. At erat, ſi ita eſt, malum. Qui autẽ aiunt ſub uoluntatem cadere id quod bonum uideatur, eos neceſſe eſt fateri nihil ſub uoluntatem cadere natura, ſed quod cuiq; uiſum ſit. Atqui aliud alij, & ſi ita res ferat, etiam contraria uidentur. Quæ ſi minus probantur, hoc certe confitendum eſt, omnino ac reuera cadere bonum ſub uoluntatem, at ſingulis quod cuique uideatur. At uiro bono id bonum, quod uere bonum eſt: improbo quod occurrit, uidetur. Vt corporibus quæ probè affecta ſunt, ſalubria uidentur ea quæ reuera ſunt eiuſmodi: quæ autem in morbis ſunt, alia: item que & amara, & dulcia, & calida, & grauia, &

cætera omnia. Nam & uerè de omnibus uir bonus iudicat, & facile quid in re quaq; ueri sit perspicit. Propria est enim sua cuiusq; habitus & honestas et uoluptas. excellitq; sapiens plurimũ in perspiciendo quid in quaq; re ueri sit, quasi rerum omnium mensura & norma. At uerò animis multitudinis à uoluptate tenduntur insidiæ: quippe cum nec bona sit, & tamen esse uideatur. Itaque pleriq; uoluptatem appetunt ut bonum: dolorem aspernantur, ut malum. Quoniam autem quod sub uoluntatem appetitionemq; cadit, ad finem spectat: quæ uerò in deliberationẽ et delectum cadunt, ea in ijs cernuntur quæ ad finem ferunt: efficitur ut actiones quæ in illis uersabuntur, omnes iudicio suscipiantur, ac omnes uoluntariæ sint. Atqui in ijs uersantur uirtutis actiones, ac uirtus ipsa in nostra est potestate, itemque uitium. Quas enim res in nobis situm est, ut agamus, eas etiam in nobis situm est, ut ne agamus. quasque res in nobis situm est ut non agamus, easdem ut agamus in nostra est potestate. Ita si quod honestũ est, est id in nobis ut geramus: illud quoque quod turpe est, ut non geramus, in nobis situm erit. Et si id quod honestũ est, ut ne faciamus in nostra est potestate: necesse est, quod turpe est, esse id in nobis, ut geramus. Quod si in nobis situ est, ut honesta

nesta quæ sunt et turpia faciamus, profectò & ut ne agamus eadem, nostræ erit uoluntatis. Hoc autẽ si est bonos et malos esse, certè probi improbi'ue simus, est id in nobis. At uerò dicere sua sponte ac uoluntate improbum effici neminem, nec beatum inuitum: illud falsum, hoc uerisimile uideatur. Nam & nemo est beatorum inuitus, et malitia uoluntatis est. Aliter ijs quæ à nobis dicta sunt, occurrendum est, negandusq; homo est auctor esse actionum quasi liberorum. Quæ si perspicua sunt, neque ea possumus ad alia referre principia, nisi ad ea quæ in nobis sita sunt: hoc certe confitendum est, Quarum rerum in nobis sita sunt principia, eas in nostra esse potestate, nostræq; esse uoluntatis. Testes huius rei sunt & priuatim singuli, & publicè legislatores, qui sumunt supplicium de ijs omnibus qui flagitia admittunt, nec ui nec imprudentia, quæ non ipsorum culpa euenerit: honores autem decernunt ijs, qui præclara facinora faciunt, ut illos deterreant, hos adhortentur. Atqui nemo quenquam ad ea omnia gerenda hortatur, quæ nec sunt in nostra potestate, nec sunt nostræ uoluntatis. quòd nihil attinet inducere animum uel calescere, uel dolere, uel esurire, uel aliud quiduis eiusdem generis, quia nihilo minus ea perferemus. Etenim erroris et imprudentiæ

causa in eo uindicatur, qui sua culpa nescierit. ut in ui nolẽtos duplex pœna cõstituta est, propterea quòd principiũ in eis situm sit. Est enim in eis situ, ut ne uino obruantur, quod quidẽ causa est imprudentiæ. Etiã eos puniunt qui aliquid ignorant eorũ quæ legibus continentur, quæ ipsa et cognosci debẽt, nec sunt difficilia. itẽq; in cæteris, si qui negligentia impediti aliquid uidẽtur ignorare, quod in eis situ erat ut ne ignorarẽt, quod in eorũ erat potestate ut darent operã. Sed aliqui fortè sint eiusmodi, ut ne dent operam ut sciant, sed tamen eorũ culpa accidit, ut tales fierent, dũ mollius uiuunt et dissolutius: itemq; ut iniusti et intemperantes essent, illi dum fraude & dolo agunt, hi dum degunt uitam in compotationibus alijsq; generis eiusdem. Nam quæ in quaq; re opera ponitur, tales homines efficit. Quod ex ijs facile perspici potest, qui ad quoduis certamen uel officiũ & actionem se comparãt. semper enim id agunt. Hoc ergo ignorare, ex eo quòd quisq; in re quaq; operam ponat, gigni actiones, hominis est ab omni sensu procul abhorrentis. Hoc etiam alienũ absurdumq; sit, eum qui iniustus sit, nolle iniustum effici: & qui intemperate uiuat, intemperantẽ. Atqui si quis non imprudens geret ea, ex quibus iniustus nascatur, profectò uoluntate sua efficiatur in-

tur iniustus. Nec si uelit quidē, cohibere se possit, aut iniustus esse desinat, fiatq; iustus. quoniā ne ægrotus quidē, ualens & incolumis cum uelit: etiā si ita acciderit, ut sponte ac uolūtate sua ægrotaret. quia & libidinose uiueret, nec medicis crederet. Actum illi qui dem licebat morbū declinare: at posteaquā se præcipitauerit, & proiecerit in morbū, iam non licet. Vt is qui lapidem iaculatus est, nō potest iam reuocare nec sustinere iactū, quanquam esset antea in eius potesta te ne iacularetur, cum in ipso situm esset principium: sic iniustis ac libidinosis initio licuit ab his uitijs declinare, quæ ultro ac sponte susceperūt: at posteaquā eiusmodi extiterunt, iam non licet. Neq; uerò animi solum, sed corporis etiam uitia iudicio ac uoluntate suscipiuntur: ea quæ in reprehensionē incurrunt. Nam quæ à natura hominibus tributæ sunt deformitates, eas nemo uituperat: at quæ incuria & negligentia suscipiuntur, omnes dantur uitio. Eadem est infirmitatis ratio, deformitatis, & debilitationis membrorum. Nemo enim cæcitatem ei qui à natura priuatus est oculis, aut morbo, aut uulnere, ut probrum obijcit, sed misericordia potius commouetur: cui autem ex uinolentia, aut alia intemperantia hoc euenerit, is culpatur ab omnibus. Quæ ergo uitia corporis in

nostra

ſtra ſunt poteſtate, culpantur: quæ non ſunt, non itẽ. Quod ſi ita eſt, in cæteris etiã omnibus, quæ crimini dantur uitia, ea in noſtra ſint poteſtate neceſſe eſt. Quod ſi quis dixerit, omnes ſequi ea quæ bona eſſe uideantur, æſtimationem autem ac iudiciũ non in eorũ eſſe poteſtate, ſed qualis quiſq; ſit, ei talem finẽ uideri: huic reſpõdeo, ſi ſibi quiſq; gignendi habitus cauſa eſt quodammodo, profectò & uiſum id quodãmodo cauſam quẽq; eſſe, ut exiſtat. Sin nemo ſua culpa, praua quæ ſunt & flagitioſa, facit, ſed ignarus finis, exiſtimans ijs ſe beatum futurum: certè finis appetitio non eſt illa quidem propter ſe approbanda, ſed ita facti omnes inſtitutiq; eſſe debent à natura, ut qua ſi aſpectum quendam habeant, quo uerè iudicabunt, atq; id quod uerè bonum eſt ſequentur. Atq; is demũ ingenioſus eſt, et bene animo cõſtitutus, cui hoc munus à natura eſt datum. Eſt enim hoc & maximum et præſtantiſſimum, quodq; nemo nec accipere ab alio poſſit nec diſcere: ſed qualecunq; à natura cuiq; tributtur, tale obtinebit. Cuius ſi ſumma & excellens quædam à natura conceſſa ſit facultas, id demum perfectum uerumq; ſit ingenium neceſſe eſt. Quæ ſi uera ſunt, cur uirtus potius, quàm uitiũ uoluntatis erit? cum præſertim utriſq; & bonis & malis finis eodem

modo

modo uel natura uel quomodocunq; uideatur atq; obijciatur: cætera uerò eò omnia referunt & agũt quomodocunq;. Siue igitur finis non natura qualiscunq; cuiq; uidetur, sed aliquid etiam est extra ipsum: siue finis naturalis est, ob eamq; causam uirtus uoluntaria est, quòd uolũtate ac sponte cætera gerat omnia: profectò uitium nihilominus futurũ est uoluntarium. Improbis enim eadem ratione inest & in actionibus & in fine quod per se est. Quòd si ex eo uirtutes uoluntatis sunt, ut dicitur, quòd causas adiuuamus habituũ, quodq; quales sumus, talem etiam finem ponimus: profectò uitia quoq; nostra uoluntate necesse est suscipi. Eadem enim ratio est. Ac de genere toto uirtutum populariter diximus, eas esse mediocritates à quibus gignantur habitus, eorumq; esse effectrices, idq; per se: eas etiam in nostra esse potestate docuimus, iudicioq; nostro ac uolũtate suscipi, atq; ita, ut recta ratio præscripserit. Nec uerò sunt actiones uoluntariæ & habitus eodem modo. Nam à principio ad finẽ in nobis sitæ sunt actiones, rerumq; singularum tenemus scientiam: habituũ uerò solùm ab initio. Rerum uerò singularũ minus est nota accessio, ut in ægrotationibus contingit. Sed quoniam sic secũsue ijs utamur, id in nobis est, idcirco dicuntur esse uoluntatis. De singulis au-

BIBLIOT. UNIWERSYT. W POZNANIU

lis autem quæ qualesq; sint, & quemadmodum inter se affectæ, disseremus, si paulò altius repetamus. Nã una eademq; opera quot sint, facilè intelligetur. Ac primum de fortitudine, quam modum audaciæ ac formidini adhibere, antea diximus: planum enim factum est. Timemus autem ea omnia quæ molestiam terroremq; adferunt: quæ eadẽ, ut semel dicam, mala sunt. Itaq; metum definiunt, mali expectationem. Ea igitur metuimus omnia quæ mala sunt, ut dedecus, ut paupertatem, ut morbum, amicorum destitutionem, mortem: sed tamen non in his omnibus fortis cernitur. Sunt enim quædam pertimescenda: idq; præclarũ est, quæ eadem turpe sit non timere. Nam qui ea metuat, is probus & pudens: qui non extimescat, impudens iudicandus est. Quanquam is à nonnullis fortis nominatur, translationis usurpatione, quoniam simile quiddã forti habeat. uacat enim metu uir fortis. Nec uerò paupertas horribilis est aut pertimescenda, nec morbus: nec omnino quicquã præter culpam, & quæ præstare possimus. Nec si quis in his se interritũ præstiterit, is continuò fortis habendus est. Quanquam eum etiam similitudine quadam fortem dicimus. Sunt enim, qui in bellicis periculis ignaui sunt ac timidi: iidem liberales, & ad largiendum paratissimi. Nec si

quis

quis uim liberis & uxori timeat, uel inuidiam, aut si quid est eiusdem generis, ignauus ac timidus putandus est: nec fortis is, qui fidenti sit animo tum, cum uirgis cæsum se iri uideat. Quibus ergo in rebus horribilibus fortis cernitur? an in maximis? Neq; enim uiro forti quisquam maiore æquioreq; animo terribilia perferre potest. Omnium autem rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius: præsertim cum omnium rerum sit extremum, & ultrà iam nullo in malo aut bono sint mortui. Nec uerò in omni genere mortis uir fortis cernitur, ut si quis in mari pereat, uel morbo intereat. Quo ergo in genere? an non in pulcherrimo? Qualis est ea quæ in bello euenit, quippe quæ in maximo pulcherrimoq; periculo oppetatur. Hoc indicãt honores, qui & in rebusp̃licis & apud reges decreti sunt ijs, qui in bello fortiter pugnantes occubuerint. Quocirca propriè ac uerè fortis uidetur is, qui morte honesta proposita, ijsq; que omnibus quæ mortem adferunt, cum appropinquant, metu uacat. cuiusmodi sunt maximè, quæ in bello uersantur. Attamen & in mari, & in morbis uir fortis uacuus est ille quidem à metu, sed non more nautarum. Fortes enim & de salute sua desperant, & genus hoc mortis acerbè ferunt: illos fidenti esse animo docuit exercitatio.

tatio. Sunt etiam forti magnoq; animo, cum aut uiribus locus est, aut pulchrum exire de uita: quorum neutrum in his generibus interitus contingit.

6 Nec uerò eadem sunt formidolosa omnibus, estq; aliquid quod præstare homo non possit, quod omnes profectò qui sani sunt mente pertimescent. Quæ autem homini possunt accidere, ea magnitudine differunt, aliaq; grauiora sunt, alia leuiora: similiterq; ea omnia quæ præbent animis nostris fiduciam. Quando igitur uir fortis reprehensione caret, quantũ hominis natura patitur, profectò hæc ipsa ut decet, utq; ratio postulabit, pertimescet: idq; honestatis causa, quoniam is est uirtuti propositus finis. Fieri autem potest, ut eadem quis & nimium & parum metuat: etiam ut quæ non sunt pertimescenda, æque ac illa timeat. Hinc peccata nascuntur: aliud, quod timeatur id quod timendũ non est: aliud, quòd non timeatur quẽadmodũ timendum est: aliud, quòd non metuatur aliquid tum cũ metui debet: & si qua sunt generis eiusdem. Itemq; in ijs omnibus quæ animum nobis fiduciamq; præbent. Qui ergo quæ cuiusque rei causa & quemadmodũ decet, perfert omnia, quiq; fidenti animo pro rerum dignitate & quando rectum est, & ut ratio præcipit, & fert & gerit omnia: is fortis habẽdus est.

dus est. Omnis autem actionis & officij finis ex animi habitu ponderãdus est. At forti uiro fortitudo honesta uidetur. Est igitur ei finis propositus eiusmodi, quòd fine terminat metiturq; omnia. Honestatis ergo causa magno fortiq; animo uir fert facitq; omnia quæ subiecta sunt fortitudini. Ex ijs uerò qui modum transeunt, qui uacuitate quadam metus impulsus id facit, uacat nomine. Esse autem multos qui nomine uacarent, suprà ostendimus. Quod si nomen fingere placet, appelletur sanè insanus, uel sensus omnis expers, si modò nihil metuat neq; tempestatem neque undas, quales aiunt esse Celtas. Qui autem nimis confidit ijs rebus quæ terrorem afferunt, audax nominatur. Atq; etiam arrogans audax uidetur esse, sibiq; fortitudinem uendicare. Itaq; quo ille animo in rebus aspe ris est, eodem hic cupit uideri. quocirca quibuscunq; rebus potest, eum imitatur. Ita fit, ut pleriq; eorum audaces sint, sed ignaui. cũ enim audacia prouecti sint, tamen nunquam res formidolosas subeunt. At qui metuendo modum egreditur, is ignauus timidus ue appellatur. Nam & quæ metuenda non sunt, & quemadmodum non sunt, quæq; sunt eiusdem generis, omnia eum consequuntur. Discedit etiã ab audacia, sed quo uiam ægritudine modum transit, magis apparet. De-

sperat enim ac diffidit ignauus omnis, quoniã omnia pertimescit: at fortis cõtrà. est enim fidentis animi audere. Ac in his quidẽ rebus omnibus timidus, audax, & fortis, illi quidem uersantur, sed non eodem modo affecti sunt. illi enim transeunt modum, & ab eo deficiunt: at hic modum in ijs tenet. Atque audaces quidem temeritate prouecti, antè cupiunt adire pericula, quàm instent: cum adsunt, fugiunt. At fortes in ipsis rebus acres sunt & prompti, antea cum essent otiosi. Quapropter, ut dixi, fortitudo mediocritas est earum rerum quæ hominibus uel fiduciam præbent, uel terrorẽ afferũt, quibus in rebus ostendimus: quæ eadem sequitur ac tolerat, quod honestum, aut certè quod turpe non sit. Mortem autem sibijpsi consciscere, fugientem uel inopiam, uel amorẽ, uel molestiam, fortis animi magniq; non est, sed angusti potius & timidi. Nam quæ laborem solicitudinemq; desiderant, ea fugere, nec quia honestum est id ferre, sed eô fugere, ne malum habeas, mollis animi est atq; delicati. Ac
7 fortitudo quidẽ ex eo genere est. Eius autẽ alia quinque genera tradũtur. Primũ genus est eius quæ ciuilis dicitur, cum ad illam proximè accedere uideatur. Excitantur enim ad subeunda pericula ciues & pœnis, & probris, & honoribus, qui decreti sunt legibus: ob eamq;

ob eamq; causam apud eos fortißimi existunt maximè, apud quos ignaui sunt inglorij: fortes, honorati. Quales Homerus facit Diomedem & Hectorem,

Polydamas fœdum primus mihi crimen inuret.

Et Diomedes,

Inter enim dicet Troes fortißimus Hector,
Titydes metuens puppes euasit ad ipsas.

Hæc autem simillima uidentur ei de qua suprà disserui, quòd à uirtute nascitur. Nã à pudoris et honestatis cupiditate proficiscitur, quoniam honoris studio, probriq; fuga, quod est turpe comparatur. Eorum autem in numerum ascribere licet eos quibus ij uim inferunt, quorum sunt in imperio & potestate. Quo sunt hi quàm illi deteriores, quod non pudore, sed metu inducti id faciunt: nec turpitudinis fuga, sed modestiæ. Cogunt enim principes, ut Hector,

Quem procul à pugna labentem fortè uidebo,
Ille canum fiet, fiet quoq; uulturis esca.

Et qui imperant, si discedant illi, uerberant. Idem faciunt ij qui ante muros fossas, & alia eiusdem generis instruunt, alios locant. cogunt enim hi omnes. Sed par est quia honestum est fortem esse, non ui aut necessitate. Atq; etiam omnis in quaq; re exercitatio, nomen fortitudinis uidetur obtinere. Itaq; fortitudi-

nem scientiam esse putabat Socrates. At exercitati quidem alij sunt in alijs rebus, ut in bellicis milites. nouæ enim in bello permulta fiunt quotidie, quæ hi una animaduerterunt. Quocirca fortes sunt propterea, quòd alij quæ illa sint non intelligant. Inde omnia facere, nihil pati, cauere ictus, & ferire consuetudine docti, usu etiam armorum ualent. His instructi, quicquid Mars ferat, ualent ad uulnera non excipienda, sed infligenda. Pugnant igitur ut armati cum inermibus. His enim in certaminibus non fortissimo quisque & maximo animo maxime bellicosus est, sed qui plurimum ualet uiribus, optimeque affectus corpore est. At uerò milites tum demum ignaui timidique existunt, cum periculum impendet, inferioresq; sunt & copijs & apparatu. Primi enim fuga elabuntur: at urbanæ copiæ stantes in acie decumbunt. Id quod Hermæo in oppido Bœotiæ Corona euenit. Nam & fuga turpis illis erat, & mors tali saluti anteponenda. Se illi initio pugnæ periculis obijciebant, quasi meliores essent: at cognito periculo, fuga elapsi sunt, quòd mortem magis quàm dedecus pertimescerent. Qualis non solet esse uir fortis. Quocirca iram etiam in fortitudinem transferunt, propterea que fortes uidentur ij etiam, qui ira incitati tanquam belluæ

toto

toto impetu in eos ferũtur, qui uulnerarint: quoniam fortes etiam ira excandescant. Est enim maximus ad subeunda pericula aculeus iracundia. Hinc Homerus, Furor arma ministrat. &, Animum' que citauit. &, Ingens per nares uis. &, Sanguis efferbuit. Hæc enim omnia significare uidentur concitationem animi ac impetum. Ac fortes quidem honestatis causa gerunt omnia, eïsq; animus subsidio est: Belluæ autẽ ægritudine ac dolore incitatæ, quod uel uulnus acceperint, uel ne accipiãt, extimescũt. nã si sint in suis lustris, haud in quenquam impetum faciunt. Non igitur fortitudo est dolore ac ira incitatũ adire pericula, nihil eorum quæ molesta et aspera interueniunt prouidentẽ. Nam isto modo quidẽ licet dicere fortes asinos, cũ esuriunt, quòd ne uerberibus quidẽ deterrentur à pastu: & quòd adulteri multa faciunt audacius. Nõ igitur quidẽ uirtutis est, dolore uel ira ad pericula impelli. Videtur autem naturam attingere ea maximè quæ ab ira ducitur: quæ si iudicium finemq; adhibuerit, ueræ fortitudinis nomen possit laudemq; obtinere. Homines etiã tum cum ira commoti sunt, dolorem sentiunt: cum sumpserunt supplicium, sé que ulti sunt, lætantur. Atq; ex his rebus, bellicosi nominantur: fortes, non item. Neq; enim honestate, uel ratio-

ne, sed libidine ducuntur ad pœnam. Simile quiddam in illis est, qui fidenti animo gerunt aliquid, nec tamẽ fortes habendi sunt: quippe cum propter ea in periculis audaces sunt, quòd sæpe ac per multos uicerint. Similes autem sunt, quòd utriq; audaces: sed tamen fortes ob eas causas, quas dixi, audaces sunt: illi, quia sperant fore superiores, nihil' que uicißim esse passuros. Atq; tale quippiã etiam ebrij faciunt, quòd sunt fidenti animo præditi. Quòd si quæ sibi proposuerant nõ adipiscantur, tũ fugiũt. At fortis erat, quæ acerba homini & sunt & uidentur, ea ob eam causam ferre, quia & honestum sit, & non ferre, turpe uideatur. Itaque fortis uidetur esse, in subitis repentinisq; terroribus & casibus omni animi perturbatione & metu uacare potius quàm in prouisis, quòd ea magis ab animi habitu proficiscantur, sintq; minus præparata. Nam quæ prouisa sunt, & præmeditata, consilio etiam & ratione quiuis approbare ac sequi posßit. At quæ repentina sunt, animi iudicio & uoluntate magis. Atque etiam fortes habentur ij, qui errore ducuntur ad agendum. nec procul ab ijs absunt, qui spe ac fiducia freti faciunt quippiam: sed tamen hoc sunt deteriores, quòd nihil rei bonæ in ipsis inclusum est, in illis est. Itaque illi aliquandiu permanent in sententia:

tia: hi quoniam falsi sunt & decepti, si semel rem aliam esse, atque suspicati erant, intelligant, fugiunt. Quod Argiuis euenit, qui in Lacedæmonios pro Sicyonijs inciderunt. Ac fortes quidem qui uerè sint, qui'que uideantur, iam diximus. Fortitudo autem 8
cum in audacia metuq; uersetur, non tamen æque in ijs, sed in rebus formidolosis magis cernitur. Nam qui his in rebus animi perturbatione uacat, quiq; in eis ita est affectus animo, ut decet, is fortior est eo, qui talem se ijs in rebus præbet, quæ fiduciam adferunt. Fortes enim ex eo, ut dixi, nominantur, quòd ea quæ acerba sunt et uidentur, forti magno'que animo perferant. Itaque molesta res est fortitudo, eaq; iure laudatur. Difficilius est enim res periculorum molestiæ'que plenas ferre, quàm se à uoluptate abstinere. Sed fortitudinis finis iucundus est, & si propter eas res, quæ circumfusæ sunt, minus appareat. Vt in ijs ludis qui gymnici appellantur, contingit. Nam pugilibus, quem sibi quisque proposuit, finis dulcis iucundusq; est, ut corona, ut honores: at plagæ et uulnera, quoniam ex carne constant, omnisq; labor durus est ac molestus. Quæ quoniã multa sunt, finis autem exiguus & perparuus, in eo nihil inesse uoluptatis uidetur. Similiter in fortitudine, mors, & uulnera aspera

et odiosa forti uiro, uelit nolit, futura sunt. Attamen ea omnia forti magnoq; animo subit, quia pulchrum est, aut certè quia non subire turpe sit. Atq; idem quo maioribus uirtutibus omnib. instructus ornatusq; est, quo que beatior, eo molestius mortem acerbiusq; perferet. Nam cum is sit, qui uita diutissima sit dignissimus, sciens & prudens maximis bonis ornamentisq; spoliatur. Quod etsi asperum molestumq; est, tamen in his fortis excelsus que animus apparet: eo que magis, quòd his omnibus talibus decus ipse & gloriam anteponat. Non igitur uirtutũ omnium iucundæ sunt actiones, nisi quatenus finis copulatus coniunctusq; asciscitur. Nihil autem prohibet, milites esse clarissimos, non eos qui sunt eiusmodi, sed eos qui minus fortes sunt illi quidem, sed nihil aliud boni habent. Prompti enim sunt isti ac parati ad pericula, uitamq; exigua mercede commutant. Ac de fortitudine quidem hactenus. Quid autem ipsa sit, non difficile est ex ijs quæ dicta sunt, simpliciter quidem cognoscere.

9 De qua quoniam diximus, iam de temperantia disseramus. Sunt enim hæ uirtutes earum partium propriæ, quæ sunt rationis expertes. Ac temperantiam quidem, mediocritatem in uoluptatibus esse iam diximus. Minus enim, nõ æquè uersatur in dolorib., in quibus

bus etiã intẽperantia cernitur. Nunc quib. in uoluptatibus uersetur, explanemus. Diuisæ sint igitur ita ut aliæ sint animi, aliæ corporis: ut sunt ambitio, & discẽdi cupiditas. uterq; enim delectatur eo cuius afficitur cupiditate: cum nihil corpus, sed animus potius perpetiatur. Qui autem in uoluptatibus eius generis occupati sunt, nec temperantes, nec intemperantes nominantur. Itemq; ne ij quidem, qui eas sequuntur, quæ non ad corpus pertinent. Nam qui fabellarum cupiditate ducuntur, uel studio narrandi trahuntur, et qui in rebus quibuslibet dies totos conterunt, eos loquaces, non intemperantes dicimus. Ne eos quidem, qui pecuniarum amissionem, uel amicorum casum grauiter ferunt. Hæreat ergo necesse est in uoluptatibus corporis temperantia, nec tamen in omnibus. Qui enim delectatur ijs rebus quæ sub aspectum cadunt, ut colore, ut figura, & pictura, ij nec temperantes appellantur, nec libidinosi. Atqui uidentur ijs rebus & delectari posse, ut ratio præscribit, et nimium et parum. Itemque in ijs quæ subiecta sunt auditioni. Neq; enim eos quisquam qui præter modum cantu, uel histrionum motu lætantur, intemperantes, aut eos qui modicè, moderatos appellat. Nec eos, qui ijs rebus gaudent, quæ subiectæ sunt odoratui, nisi fortui-

tu. Nam qui malorum, rosarum, suffumigationúmque capiuntur odoribus et fragrantia, eos non intemperãtes appellamus, sed eos potius qui unguentorum & opsoniorum. Ex his enim libidinosi capiunt uoluptatem, propterea quòd ex ipsis redeant in memoriã cupiditatum. Cernere etiam licet alios cum esuriunt, epularum odore capere uoluptatem. At gaudere rebus eiusmodi, hominis est impotentis, quoniam eorum hæ sunt uoluptates propriæ. Nec uerò his sensibus capiunt cætera animantia uoluptatem, nisi fortuitò. Neque enim aut canes leporum delectantur odore, sed pastu: siquidem sensum odor ferit & afficit. aut leo uoce bouis, sed esu, quòd eum in propinquo esse sensit ex uoce: itaq; eo ipso lætus est. Itemq; nec quòd cernat, aut inuenerit ceruum uel capram feram, ex eo gaudet: sed quia pastum nactus sit. Versantur igitur in ijs uoluptatibus omnibus temperantia & intemperantia, quarum reliquæ participes sunt animantes. Itaque seruiles eas belluinasq; esse constat. Cuiusmodi sunt, quæ gustu tactuq; capiuntur. Ac gustu quidem parum admodum utuntur. Est enim in gustatu saporum iudicium: quod quidem ij faciunt, qui uina probant, & opsonia condiunt. Neque hæc placent admodum libidinosis: sed uoluptas ea, quæ ex tactu percipitur,

cipitur, in esculentis, poculentis, ijsq; rebus quæ uenereæ nominantur. Itaque Philoxenus quidam Erixius, quòd epularum uoluptate duceretur, collum sibi dari gruis longius optabat, quod ex tactu caperet uoluptatem. Tactus autem ex sensibus unus patet latissimè, in quo sita intemperantia est, quæ iure ut probrum maxime obiectatur: propterea que ineſt in nobis, non quatenus homines sumus, sed quia animalia. His igitur talibus delectari, eáque adamare, belluarum est. Etenim hæ exceptæ sint, quæ honestæ liberales' que cum maximè sint, ad tactum pertinent: quales sunt quæ in gymnasijs frictione & calore gignũtur. Neq; enim proteruorũ ac libidinosorũ tactus toto corpore æquabiliter fusus est, sed quibusdam partibus inhæret. Cupiditatum autem aliæ communes sunt, aliæ propriæ & ascititiæ, ut cibi cupiditas naturalis est. Omnes enim cum uacui sunt, cibum uel siccum uel humidum appetunt, aliàs utrunq;. Et, ut ait Homerus, adolescens, & qui est iam corroborata ætate. At hunc uel illum cibum, non iam, nec eosdem omnes desiderant. Itaq; hoc iam nostrum est, quanquam habeat quiddam simile naturæ. Alij enim alijs mouentur: suntq; res quædam, quibus omnes delectentur potius, quàm quibuslibet. Ac in ijs quidem

quæ

quæ à natura proficiſcuntur, cupiditatibus, delinquitur atq; peccatur à paucis: idq; in uno, quòd plus capitur cibi q̃ ratio præſcribat. Nam edere quæ adſint, & potare dum compleare, id eſt extra modum in copia eò prodire quod ſecundum naturam eſt. Expletio enim eius quod deeſt, eius eſt cupiditatis quæ à natura proficiſcitur. Itaq; homines appellantur hi, γαστρίμαργοι, quòd uentrem cibo & potione complent, contra decorum. Quales ſunt, qui mancipiorum ſunt perſimiles. At uerò in propriis uoluptatibus complures peccant, atq; id multifariam, cum qui res eiuſmodi adamant, aut ex eo dicantur, quod iis gaudeant, quibus non decet, uel plus quàm ratio poſtulet, aut quem admodum pleriq;, uel quemadmodum dedecet, aut nõ eius rei cauſa cuius debent. Intemperantes autem omnibus in rebus modum tranſeunt. Nam & ex quibuſdam rebus percipiũt uoluptatem, ex quibus, quoniam odio dignæ ſunt, non decet percipere: & ſi quibus ex rebus uoluptas capienda eſt, ex iis maiorem capiunt quàm debeant, uel ut uulgus. Ex quo quidem perſpici poteſt, intemperantiam exuperantiam eſſe quandam uoluptatum, eoq; uituperandam. In doloribus autem non dicitur quis temperans, ut in fortitudine, ex eo quòd eos ferat: nec intemperans, quòd non ferat: ſed intem-

intemperans quis appellatur, quòd molestius quàm decet, ferat nulla se uoluptate perfrui. Itaq; ei affert dolorem uoluptas. At temperans propterea quòd nec se priuari uoluptate doleat, nec carere. Ac intemperans omnes uoluptates concupiscit, aut certè maximas: sic que uoluptatibus rapitur, eas ut rebus omnibus anteponat. Itaq; & fruendo angitur, & concupiscendo. Est enim cum dolore omnis coniuncta cupiditas. nihilq; profectò absurdius fœdiusq; est, quàm cõfici an giq; dolore ob eam causam, quòd careas uoluptatibus. Qui autem parum aut minus quàm æquum sit, uoluptate afficiuntur, pauci admodum reperiuntur. Non enim propria est hominis huiusmodi sensus uacuitas. Etenim cætera animalia pastum discernunt à pastu, alioq; delectantur, alio non item. Sed si quis est huiusmodi, cui nihil uoluptatem afferat, quiq; nihil putet interesse inter aliam rem atq; aliam: is profectò procul absit à natura hominis, hominemq; ex homine exuerit necesse est. Talis quoniam non admodum reperitur, uacauit nomine. Temperans autem ijs rebus omnibus modum adhibet. Neq; enim delectatur ijs, quibus intemperans maximè: sed angitur potius, aut omnino quibus ex rebus uoluptas percipienda non est, nec uehementer ulla, eiusmodi: nec si absint, dolore confici-

conficitur: nec concupiſcit, niſi moderatè. quòd ſi concupiſcat, nullam magis quàm decet concupiſcit: nec quando dedecet, ullam omnino ardentius deſiderat eius generis uoluptatem. Quæ autem ad ualetudinem pertinent uoluptates, uel firmam corporis conſtitutionem, eas modicè & ut decet, concupiſcat: cæterasq; res omnes uoluptatum effectrices, quæ his non ſint impedimento, dummodo nec honeſtati repugnent, nec facultates exhauriant. Nam qui ita animo affectus eſt, is uehementius quàm æquum ſit, uoluptates huiuſmodi adamat. Qualis non ſolet eſſe
11 temperans, qui rationi congruit. Intemperantia autem magis noſtra uoluntate ſuſcipitur, quàm timiditas & ignauia. Illa enim ex uoluptate, hæc ex dolore naſcitur, quorum uoluptas expetenda eſt, dolorq; fugiendus. Ac dolor quidem naturam eius in quo eſt à ſuo ſtatu dimouet, ac labefactat: uoluptas nihil tale facit, quoniam etiam à noſtra uoluntate proficiſcitur. Itaq; maiore reprehenſione digna eſt, quandoquidem facilior eſt earum rerum conſuetudo, quæ ſunt uoluptatis. Nam & multa et uaria eius generis in uita uerſantur, & conſuetudo ſine periculo omnis capitur. In rebus autẽ formidoloſis contrà contingit. Sed ignauia non æque uolũtaria ac res ſingulæ, eſſe uidea-

tur:

tur: qđ illa dolore uacat, hæ adeò homines de suo sta tu sensu doloris dimouent, ut et arma abijcere, et alia permulta contra decorũ homines facere cogantur: ob eamq; causam uiolentæ uidentur. Cõtraq; intemperan tis res singulæ uoluntate ac sponte suscipiuntur: quip pe qui eas appetat et concupiscat: totũ uerò genus, mi nus. quandoquidẽ nemo intẽperantiæ cupiditate duci tur. Nomẽ autem intemperantiæ ad pueriles errores delictaq; transferimus, nec iniuria. Est inter hæc e nim quædam similitudo: utrum autem ab altero ductum sit, nihil ad id quod agimus. quanquam satis constat, posterius ductum esse à priore. Nec iniuria quidem facta translatio est. contrahendum enim est, castigatione quadam adhibita, id omne in nobis, quod rerum turpium ac libidinosarum cupiditate ra pitur, nimiumque exultat ac luxuriat. cuiusmodi sunt appetitus, & pueri maximè. Nam libidinose ui uunt etiam pueri, in quibus maximè rerum uolupta tem efficientium ualet cupiditas. Quòd si minus ra tioni parebunt, eique subiecti erunt appetitus, lon gius euagabuntur. (Est enim cum per se uolupta tatis insatiabilis & inexplebilis cupiditas, tum om ni ex parte in eo, qui à ratione discedit) & cupiditas expleta, eius quod cognatum est uires amplifica bit.

bit. quæ quo sunt maiores & uehementiores, eo magis mentem è sua sede & statu dimouent. itaq; modus in ijs retinendus est, ne rationi repugnent. Atq; hoc ipsum est, quod obediens castigationeq; adhibita moderatum esse dicimus. Vt enim puer ex pædagogi præscriptione, sic uis hæc concupiscendi conuenienter rationi debet uiuere. Quocirca debet in moderato uiro & temperante rationi congruere ea pars animi, quæ uoluptate alitur. Vtriq; enim propositum est, id quod deceat. Et appetit temperans quæ decet, omnia, & quemadmodum, et quando decet, quemadmodum etiam ratio præcipit. Ac de temperantia quidem hactenus.

LIBER QVARTVS.

1 DEINCEPS de liberalitate dicamus, quæ in pecunijs mediocritas quædam cernitur. Laus enim liberalis, posita est non in bellicis rebus, uel ijs in quibus temperans cernitur, nec rursum in iudicijs: sed in dandis accipiendisq; pecunijs, sed magis in dandis. Pecunias autem appellamus res omnes, quarum numo ponderatur æstimatio. Sunt autem in pecuniarum usu duo uitia, quorũ alterum

alterum in exuperantia positum est, dicitur'que prodigalitas: alterum in defectione, quæ appellatur auaritia. Ac auaritiæ quidem crimen in eos semper transferimus, qui nimio pecuniarum studio tenentur. Prodigalitatem autem quandoque cum alijs uitijs confundimus. Impotentes enim, & qui sumptus faciunt, profunduntq; pecunias in eas res quæ sunt intemperantiæ, prodigos dicimus. Itaq; improbissimi uidentur esse, quòd multis simul uitijs sint flagitijsq; contaminati. Non igitur proprio nomine appellatur. est enim prodigus certo uitio implicatus, quod in effundendis pecunijs cernitur. Prodigus enim per se ipse perit. atque etiam uidetur ipsius interitus quidam esse, facultatum effusio, quòd ex ijs uita constet. Prodigalitatem igitur hoc pacto intelligimus. Quarum autem rerum usus aliquis est, ijs & rectè & peruerse uti licet: Atqui sunt diuitiæ & pecuniæ in bonis utilibus, & qui uirtute præditus est omnium rerum, is optimè scit uti omnibus: Optimè igitur diuitijs utetur is, qui uirtutem, quæ in pecuniarum usu uersatur, habuerit. At is liberalis nominatur. usus autem pecuniarum in sumptu & largitione consistit, in accipiendo uerò & custodiendo magis cernitur possessio. Quocirca liberalis est, dare potius quibus dandũ est, quàm

unde accipiendum est accipere: aut unde accipiendum non est, non accipere beneficium. Virtutis enim proprium est, beneficia in alios conferre potius quàm ab alijs accipere: & quæ recta sunt & honesta facere, quàm flagitiosa & turpia non facere. Dubium autem non est, quin dantem beneficium datum, honestáque actio comitetur: accipientem uerò beneficiũ acceptum, aut certè nulla turpis indecoráue actio. Et gratia ac laus multo etiam magis, dantem, non accipientem sequitur. Facilius etiam est, non accipere quàm dare. Suum enim quisque minus sæpe profundere solet, quàm accipere alienum. Liberales ergo dicuntur ij, qui largiuntur. Qui uerò non accipiunt, ijs non liberalitatis laus tribuitur, ac iustitiæ multo minus. Qui autem beneficia accipiunt, nõ admodum ij laudari solent. Iam omnium in quibus uirtus inest, ij diliguntur maximè, qui fama & laude ualent liberalitatis. prosunt enim alijs: quod in largiendo quidem positum est. Virtuti autem consentaneæ actiones præclaræ sunt, honestatisq; causa geruntur: dabit ergo liberalis beneficia honestatis causa: & rectè. Largietur enim quibus & quantum & quando largiendum erit: cæteraq; seruabit omnia, quæ rectam et æquam largitionem sequuntur: eaq; faciet libenter, aut non

non grauatè quidem. Quod enim uirtute geritur iucundum, aut non molestum, idem minime graue est. At uerò qui largitur quibus largiendum non est, nec honesti studio, sed alia aliqua causa ductus, hic non est habendus liberalis, sed alio aliquo nomine appellandus. ne is quidem qui grauatè id facit, quoniã præclaris actionibus & officijs facile pecunias anteponat, quod procul abest à liberali. Nec uero liberalis unquam accipiet, unde nefas sit: quippe cum ita non soleat accipere is qui pecunias fere cõtemnat, ac pro nihilo putet. Nec idem ad petendum procliuis est, quòd non libenter beneficium accipiat is, qui dare solet. Accipiet tamen unde æquum erit, ut de suis facultatibus & copijs, non quòd honestum sit, sed quia necesse, ut ad largiendum suppetant copiæ. Nec uerò sua negliget, qui nonnullis quidem ex his opitulari uelit. Passim autem cuiuis non largietur, ut suppetant copiæ ad largiendum, quibus rectum erit, & quando, & ubi ratio postulabit. Est autem liberalis & magno animo dare beneficia, & in dandis excellere, ut sibi minora reliqua faciat. Liberalis est enim, sibi suisq; commodis minus cõsulere. Sed ex facultatibus omnis ponderanda liberalitas est. Neque enim ex numero beneficiorum quæ dantur, sed ex animo &

uoluntate eius qui dat, omnis est spectanda liberalitas. Animus autem largitur pro facultatibus. Quamobrem nihil prohibet liberaliorem esse eum qui minora confert beneficia, si ex minoribus quæ suppetant copijs largiatur. Ad opem autem ferendam alijs propensiores sunt ij, qui non suo labore & diligentia opes pararunt, sed ab alijs partas acceperũt. neq; enim experti sunt, egestatis quàm sit graue malum. Et sua cuiq; magis placent, ut parentibus & poëtis. Difficile est autem liberalem locupletem esse, nec accipientem aliunde, nec sua custodientem, quin etiam largientem, pecuniamq; non propter se amantem, sed ad beneficentiam liberalitatemq; conferentem. Itaq; accusatur fortuna, quod minime locupletes copiosi' que sint ij qui sunt dignissimi. Quod non sine ratione contingit. Neque enim ut cæteris rebus, sic opibus abundare possunt ij, qui nullam dant operam ut habeant. Non tamen opem feret indignis, aut quando non erit largiendum: eaq; seruabit omnia quæ sunt generis eiusdem. non enim iam faciat quæ sint liberalitatis. quas in res si profuderit facultates, nihil iam possit in eas quæ honestæ sunt effundere. Vt ergo diximus, is demum liberalis est, qui pro facultatibus, atque in eas res quæ præclaræ sint, profundit pecunias. qui autem

modum

modum transit, prodigus dicitur. Itaq; reges non appellamus prodigos, quod non facile sit eorum opes & copias, quas maximas habent, ullis largitionibus aut sumptib. exhauriri. Quoniã igitur mediocritas quædam est liberalitas, quæ largiendis accipiendisq; pecunijs cernitur: largietur quidem liberalis, & sumptus faciet in eas res quæ decoræ erunt: ijsq; modum adhibebit, æquè in magnis atq; in paruis. idq; faciet libenter. Accipiet´que unde quantum´que accipiendum erit. Nam quia in utroque uirtus, modus quidam cernitur: utrunque pro dignitate præstabit. Qualis enim quæq; largiendi est ratio, talis etiam accipiendi solet consequi. sin talis nõ est, contraria sit necesse est. Ac quæ se quidem consequuntur, semper sunt in eodem: contrariæ autem non item. Quòd si cõtra decorum & honestatem accidat ut profundat pecunias, ægrè feret ille quidem, sed modicè & decorè. Virtutis est enim & lætari & dolere quibus rebus, et quemadmodum decet. Iam in re nummaria liberalis facilem se socium lenem´que præbebit. Quoniam enim despicit ac pro nihilo putat pecunias, opportunus est iniuriæ. Idem´que molestius feret se sumptus non feciſse quos debuit, quàm doleat se in eas res quas minimè decuit, pecunias effudisse. Nec Simonidis sententiam pro-

babit. At uerò prodigus in his etiam omnibus aberrat. Neque enim uel gaudet, quibus aut quando æquum est, uel offenditur. quod ex ijs quæ deinceps dicemus, facilius intelligetur. Atque hoc quidem iam diximus, prodigalitatem & auaritiam excessari, largiendis accipiendis'que pecunijs. sumptus enim referimus ad largitionem. Et prodigalitas quidem largiendo, & minus accipiendo, finem modum'que transit, accipiendo'que modum deserit. Auaritia autem largitur parum illa quidem: sed accipiendo, nisi in paucis, ultra modum progreditur. Prodigorum igitur non ferè opes augeri solent. Neque enim facile est, eum qui à nemine accipiat, largiri omnibus. Celeriter enim desunt ad largiendum facultates ijs, qui priuati sunt, quales sunt ferè prodigi. Atqui cum sit eiusmodi, tamen uidetur multo melior auaro. Facile enim ad sanitatem traduci potest, & progressu ætatis, & inopia coactus: ad mediocritates'que peruenire possit. In eo enim sunt ea omnia quæ sunt liberalis, quòd & largitur, nec aliunde accipit. Sed tamen neutrum faciens, nec decorum seruat, nec æquitatẽ. Qui si ad huius mores adducatur, aut aliàs commutetur, iam erit liberalis. Nam & quibus largiendum

dum erit, largietur: nec unde minus æquum erit, accipiet. Quocirca non uidetur deprauatis corruptisq; moribus præditus. Non enim scelerati est, aut ingenerosi, sed stulti potius, largiendo, nec accipiendo finem modumq; transire. His igitur præditus moribus prodigus, multo est auaro melior, cum ob eas causas quas diximus, tum quòd hic prodest omnibus, ille nemini, ne sibi quidem. Sed plerique prodigorum, ut diximus, à quibus non debent accipiunt, ob eamq; causam auari existiunt: parati autem sunt ad accipiendum, propterea quòd inest in ijs cupiditas plerumq; effundendi copias, quod facilè non possunt. Cum enim dando egere celeriter cœperint, alienis bonis manus afferre cogũtur. Et quia nullam honestatis rationem ducunt, sine delectu undecunque possunt rapiunt. Inest enim cupiditas in eis largiendi: sed quomodo, aut unde, non curant. Quare largitio eiusmodi non debet liberalis uideri. Nam nec honesta est, nec honestatis causa, nec pro dignitate: sed nõ nunquam quos homines æquum erat omni ope desertos uitam in summa inopia degere, eos potissimum locupletant: ijs uerò qui commodis sunt moribus, nihil largiuntur. assentatores autem, eosq; omnes qui ministri sunt uoluptatum, magnis opibus adaugent.

Ita fit, ut plerique eorum sint libidinosi. Quoniam enim facilè largiuntur, sumptus etiam ijs rebus suggerunt, quæ sunt libidinis. Et quoniam honestè et moderatè non uiuunt, propensi sunt ad uoluptates. Ac prodigus quidem cum nullam sequitur ducem rationem, in has miserias incidit. Qui si curam diligentiamq; adhibuerit, facile ad uirtutem decorumq; perueniat. At uerò auaritiæ malum insanabile est. Nam senectus omnisq; imbecillitas auaros efficit. Eademque magis tributa est à natura hominibus, quàm prodigalitas: quòd multo plures studio pecuniæ trahantur, quàm parati sint ad largiendum. Latè etiam patet, eiusq; genera sunt plura. multi enim modi auaritiæ uidentur esse. Cum enim in rebus duabus cernatur, ut si minus largiare quàm deceat, & si modum accipiendo transeas: non inest tota in omnibus, sed seiungitur. alijq; extra modum accipiendo prodeunt, alij parum largiuntur. Qui enim his nominibus appellantur, parci, tenaces, aridi, omnes deficiunt & desunt dando: sed alienum nec appetunt, nec eripiunt: idq; faciunt bonitate quadam, uoluptatumq; obscœnarum fuga. Videntur enim quidam, aut certe aiunt, se ob eam causam tueri ac conseruare sua, ut ne aliquando turpe aliquid facere cogantur. In his cumini sector ille, & si

si quis talis: qui omnes ex eo nominati sunt, quòd nullius aduersis rebus subleuandis excellant. Sunt etiam qui metu ab alieno manus abstinent. quòd non sit facile, qui ab alijs eripiat, eius res ab alijs non detrahi et auferri. Placet igitur his talibus, neq; dare alijs quicquam, nec uicissim ab alijs accipere. Alij autem sunt in accipiendo nimij, qui passim & quiduis accipiunt: quales sunt ij qui in sordida arte uersantur, ut lenones, & omnes eiusmodi, ut fœneratores, & qui exigua dant ut maiora ferãt. Omnes enim hi homines à quibus æquum non est, & quantũ iniquũ est, accipiunt: eorumq; communis, turpis, sordidusq; quæstus uidetur. Nam propter quæstum, atq; eum perexiguũ, omnes in probra & dedecora incurrunt. Qui enim magna à quibus & quæ nefas est eripiunt, quales sunt tyranni, qui ciuitates oppugnant, fana diripiũt, ij non auari, sed scelesti potius, impij et iniqui sunt habendi. Attamen & aleatores & raptores & latrones auari putandi sunt, quòd in turpi quæstu sint occupati. nam spe quæstus hæc instituta sequuntur, & in probra incurrunt. Atq; hi spe quæstus maximis periculis se offerunt: illi ab amicis, quas copias ijs suppeditari æquius est & relinqui, eas quæstu aucupantur. Vtriq; igitur, quoniam ab ijs eripiunt à quibus non decet, in sor-

dido quæstu & arte uersantur. Quamobrem omnes hæ rapinæ illiberales sunt. Iure autem liberalitati auaritia opposita est, quòd maius est malum quàm prodigalitas: sæpiusq; ea peccatur, quàm illa eadē effusione. Ac de liberalitate quidem, uitiosítatibusq; ei con-
2 trarijs hactenus. Sequitur ut de magnificētia disserendum esse uideatur, eo ipso quòd ea uirtus in pecunijs cernitur. Sed non ad omnes actiones et officia pecuniaria, quemadmodum liberalitas, sed sumptuaria modò adhibetur, in quibus liberalitatem magnitudine superat. Est enim uirtus, ut nomine ipso declaratur, in sumptuum magnitudine seruans decorum. Magnitudo autē ad aliud refertur. Neq; enim idem sumptus trierarcho dignus est, & præfecto spectaculorum: in omnibusq; rebus ut decorum conseruetur, & personæ & temporis, & rerum ipsarum habenda ratio est. Qui autem sumptus facit in res uel paruas, uel mediocres pro dignitate, is non magnificus, ut ille qui dicebat, Sæpe dedi peregrinis: sed qui in res magnas, is demū magnificus est iudicandus. Qui enim magnificus, idem continuo liberalis: qui autē liberalis, idem non continuò magnificus. Huius autē animi habitus defectio sordes appellatur: exuperantia, luxus. & si qua sunt eius generis uitia, quæ extra modum nō prodeunt

deunt ſumptu quibus in rebus decet, uerum in quibus dedecet, & qua ratione non decet, ſplendorem oſtentant. de quibus mox diſſeremus. Magnificus autẽ docto ſimilis eſt, qui decori rationẽ habere poteſt, ſumptuſq; magnos aptè ſuggerere. Habitus enim omnis animi, initiò, ut dixi, ex actionibus, ijsq; omnibus in quibus uerſatur, põderandus eſt. Sunt autẽ magnifici ſumptus, magni & decori: talia igitur & opera. Ita enim ſumptus magnus futurus eſt, & ad rem aptus & accommodatus, ſi & res ipſa ſumptu digna, & ſumptus re ipſa dignus, aut etiã maior habebitur. Sed hæc omnia honeſtatis cauſa (hoc enim uirtutibus omnib. cõmune eſt) magnificus faciet, idq; libenter ac ſtudioſè. Accuratè enim ac ſubtiliter res ponderare, ſordes ſectantis, ac ſplendorem fugientis eſt proprium. Magisq; qua ratione quidq; ſplendidiſſimè efficiatur, cõſiderabit, quàm quanti, quoq; modo minimo. Magnificus autem liberalis ſit neceſſe eſt. Nam cum ijs rebus liberalis ſumptus ſuppeditat, quibus & quemadmodũ decet, tum in ijs magnifici ſplendor elucet. Et quoniam ijs in rebus liberalitas cernitur, æquo ſumptu rem adminiſtrabit ſplendidius. Neq; enim eiuſdem uirtutis eſt & cõmendationis, poſſeſſio rei & opus. Quod enim poſſidetur, plurimi æſtimandum eſt, ut aurum.

Opus

Opus autem ex eo confectum præclarum est atq; magnum. Eius uerò inspectio mirabilis. At quod magnificum est ac splendidum, id omne mirabile. Estq; rei et operis splendor ac dignitas in magnitudine. Sumptus autem in hoc genere ij probantur maximè, quæ honorabilia dicimus: quales sunt quæ dijs adhibentur dedicationes, apparatus, sacrificia, similiter'que ea omnia quæ in cultu & religione diuina impendũtur, & quæ in Republica honestæ gloriæ causa exhibentur, ut si cubi ludos fieri splendidè putent oportere, aut triremis præfectum munus suum exequi, aut publicũ epulum præbere. Sed in his omnibus uidendum est, ut dixi, non modò qualis quisq; sit, sed quales etiam ei suppetant ad efficiendũ facultates. Sunt enim ad res quæ suscipiuntur accommodandæ: nec solum ijs opus, sed is etiam qui efficit honestandus est. Quocirca pauperum nemo possit esse magnificus, quòd ei nihil suppetat, unde sumptus queat splendidè sustinere. Quod si aggrediatur, quoniam id faciat citra dignitatem & decorum, stultus habeatur necesse est. Quicquid autem eiusmodi est quod rectè fit, id omne uirtute geritur. Atq; etiam eos honestant, qui hæc ipsa uel per se ipsi nacti sunt, uel à maioribus relicta acceperũt, uel ab ijs etiam qui eos aliquo propinquitatis iure attinẽt.

itemq;

itemq; claros ac nobiles uiros, & si qui sunt ex hoc genere. ineſt enim in his omnibus ſplendor quidam et dignitas. Ac magnificus quidem uir eſt eiuſmodi, in hisq; talibus ſumptibus, ut dixi, magnificentia cernitur maximè. Sunt enim & maximi, & maxima digni gloriatione. Eorum autē quæ priuatim fiunt, huc pertinent ea omnia quæ ſemel fiunt, ut nuptiæ, et ſi quid eſt eiuſmodi, in quo ciuitas tota occupata ſit, aut ij qui autoritatem obtinent. hoſpitum etiam recipiendorum iura, legationes, dona, & remunerationes. Neq; enim ſui cauſa ſumptus ſolet facere magnificus, ſed reipub. Et dona ſimile quiddam habent ijs rebus quæ dijs dedicantur. Eſt etiam magnifici & honorati uiri, domū ædificare, cuius modus et dignitas ad diuitias accommodanda eſt (quærenda eſt enim etiā ex domo dignitas quædam) & in eas res potius pecunias profundere, quarum memoriam diuturnam ſit relicturus. Hæ enim præclariſſimæ res ſunt, & ſuum quæque decus obtinet. Non enim ijdem honores uel fanorum uel ſepulchrorum dijs hominibusq; tribuuntur. Omnis etiā ſumptus magnus eſt in ſuo genere, et clariſſimus quisque ſi in rem magnam factus ſit, maximus habetur. & qui his rebus accommodatus eſt, iam hic clarus magnusq; dicitur. Intereſt autem inter id quod in re, & quod

& quod in sumptũ magnum appellatur. Nam pila quidem si pulcherrima sit, aut urceus, pueri quidem ratione & sententia, clara habeatur: eius autem æstimatio & precium perexiguũ est & illiberale. Ob eamq; causam honorati uiri clariq; est, in quocunq; genere quid faciat, magnificè id splendideq; facere. Quo in genere quicquid fit, nec facilè superari potest, & fit pro sumptus dignitate. Ac magnificus quidem uir talis est. Qui autem modũ transit, hoc ipso, ut dictum est, modum transit, quòd profundat contra decus pecunias. In rebus enim parui momẽti, magnos sumptus adhibet, splendoremq; ineptè ostentat, ut nuptiali apparatu eos excipiens qui dant symbolum, et comœdis omnia suppeditans, & purpurã in eorum præferens transitu, ut solent Megarenses. Atq; hæc facit omnia non honestatis, sed ostentandarum diuitiarum causa, & quòd se putet admirationem cæterorum excitaturum. Atq; idem quæ res magnos sumptus desiderant, in ijs parcus est: quæ exiguos, in ijs profusus. Sordidus uerò in omni re abest à decoro: qui cum magnos sumptus sustinuerit, in exiguo decorũ omne peruertit. Quòd si quid faciat, et cunctãdo id efficit, et qua ratione minimo sumptu præstare possit cõsiderat, atq; id grauatè, idemq; se splendidius omnia quàm deceat

facere

facere arbitratur. Ac sunt hi habitus illi quidem uitiosi, sed non ferè in reprehensionem incurrunt: idq; fit ob eam causam maximè, quòd nec proximis noceant, nec insignem habeant deformitatem. Magni 3
tudo autem animi magnis in rebus, ut nomen ipsum significat, cernitur. Sed primùm in quibus, nobis explicandum est. Nihil autẽ interest, utrũ ipsam animi affectionem nobis proponamus, an eum qui ea sit præditus. Ergo is demũ magno excelsoq; animo putandus est, qui res magnas illas quidem, sed quibus dignus sit, sibi deberi iudicet. Qui enim minus pro dignitate hoc sentit, is stolidus habendus est. Atqui eorum qui uirtute gerũt aliquid, nemo stolidus, nemo amens putatur. Est igitur magno uir animo eiusmodi. At uerò qui exiguos honores meritus est, quos sibi tribui æquũ censet oportere, is nõ magnanimus, sed modestus et moderatus est iudicandus. Magnus enim elatusq; animus in magnitudine cernitur, quemadmodum pulchritudo in magno proceroq; corpore. Breues autẽ homines sunt illi quidem astuti, aptaq; cõpositione membrorũ præditi, sed formosi nõ item. Qui uerò magna præmia se meritum putat, ijs cum sit indignus, alto animo dicitur. Nec uerò qui maioribus se dignos existimant, quàm eorum sint merita, omnes elati iudicandi sunt.

At qui

At qui minora quàm habere sit dignus, sibi deberi iudicat, is demisso pusilloq; animo putandus est, siue magna, siue mediocria, siue exigua illius extent merita, quibus minora sibi etiam tribui putet oportere, præsertim si magna eius merita uideantur. Quid enim si tantis esset indignus, facturus fuisse uideatur? Ergo magnanimus summus ac extremus est, ille quidē magnitudine, sed modo rationeq; medius. Nam suis se ipse meritis metitur: alij uel modum transeunt, uel deserunt. Qui si magna, atque adeò maxima sibi, quia dignus sit, deberi iudicat, profectò una in re maximè eius merita cernentur. Quid ergo tandem illud sit, ex dignitate intelligendum est. Dignitas autem in externis bonis ponitur, atq; numeratur: quorum maximum ponimus id, quod & Dijs tribuimus, & omnes expetunt ij qui in magistratu sunt: et quod rerum gestarū, uel præclarissimarum quasi mercedem omnes desiderant, qualis gloria est. Est enim bonorum externorum maximum, gloria. In honore igitur & dedecore magnanimus ita animo affectus est, ut ratio æquitasq; postulat. Quod etiam tacente me, facile perspici potest. Gloria enim se dignissimos arbitrantur magni uiri. At qui demisso pectore pusilloq; animo est, is & suo iudicio abest à decoro, & magnanimi dignitate.

Qui

Qui autem elato animo est, uincit ille quidem suo iudicio, ac modum transit, sed tamen magnanimũ non uincit. Sed quoniã maximis honoribus magnanimus dignus est, idem optimus sit necesse est. Semper enim quo quisq; melior, eo maiore dignus est gloria, & optimo cuique maxima gloria debetur. Ita magnanimus uir bonus etiã futurus est. Atq; etiam magni fortisq; animi proprium uideatur, quod in quaq; uirtute magnum excellens'que ducitur. Nequaquam etiam deceat magno animo uirum fugere pericula, aut cuiquam facere iniuriam. Quid enim turpe aliquid faciat, cui nihil magnum esse uideatur? Ac mihi quidem certe omnia spectanti, omnino ridiculus magnus animus uidetur, qui non idem sit bonus: qui si malus sit, ne honore quidem esse dignus potest. Est enim uirtutis merces, gloria, quæ bonis uiris tribuitur. Quocirca uidetur magnitudo animi quasi splendor quidam & ornamentum esse uirtutum omnium. Nam et maiores eas splendidiores' que facit, & cohærere sine illis nullo modo potest. ob eam' que causam uix in quoquam uera animi magnitudo reperitur. siquidem esse sine singulari quadam & eximia bonitate nullo pacto potest. Omnino igitur magnus animus in decore & dedecore cernitur. Atque idem magnis ho-

noribus, qui quidem à bonis uiris tribuentur, moderatè ille quidem lætabitur, tanquam suos aut minores potius sit consecutus (Virtute enim undiq; perfecta & absoluta nullus honos satis dignus potest esse) sed tamen eos recipiet hoc ipso, quod illi maiores habere non possint. Omnino autem quos quilibet, eosq; exiguos tribuet, contemnet ac pro nihilo putabit, siquidem tales meritus non est. itemq; dedecus & infamiam, quod ei iure non possunt contingere. In primis igitur ac maximè in gloria magnanimus, ut dixi, cernitur. Attamen et in diuitijs & magistratibus et in secundis rebus & aduersis, affectus erit quàm moderatissimè fieri possit: neque prosperis rebus lætabitur nimis, neque asperis aduersisq; mœrebit. Non enim isto pacto in honore & gloria, ut re omnium maxima affectus erit. Imperia enim & opes gloriæ causa expetenda sunt. Itaque ea sibi gloriæ causa optant omnes, qui ijs sunt præditi. Quid ergo uideatur ei magnum in rebus humanis, cui etiam contemptui est gloria? Quocirca magno animo excelsoque uiri, ijdem contemnentes rerum uidentur esse. Atque etiam secundæ res uidentur ad animi pertinere magnitudinem. Nam & nobiles gloria digni putantur, & magistratus, & diuites, quod excellant aliqua præstantia.

habet

habet autem uenerationem iustiorem, quicquid excellit. Itaque maiores elatioresq; animos hæc ipsa faciunt. siquidem ex ijs gloriam consequuntur. Quanquam autẽ si uerum iudicare uolumus, solis bonis honos debetur: tamẽ cui utrunq; adsit, is nescio quomodo maiorem laudem ac gloriam meretur. In quibus autem hæc talia bona insunt sine uirtute, ij neque seipsi iure ullo honore dignos putant, nec magnanimi rectè nominantur. Neque enim hæc constare sine uirtute undiq; perfecta ullo modo possunt. Contemnunt enim, contumelioſi que sunt ij qui his etiam bonis abundant. Difficile enim est, si à uirtute deceris, ferre aptè res secundas. Quoniam autem ferre illi non possunt, & se præstare cæteris putant, eos contemnunt: ipsi quicquid acciderit, faciunt. Imitantur enim magnanimum, cum ab eo absint distentq; plurimùm. Hoc quibuscunq; rebus possunt, faciunt. Virtute igitur nec gerunt quicquam, & tamen contemnunt cæteros. At uerò magnanimus uir iure despicit. Veritate enim ille ad iudicandum, plerique autem magis temeritate ducuntur. Et quoniam paruifacit ac negligit parua pericula, nec ijs se offerre, nec ea optare solet. Magnis autem ac grauibus se obijcit, in quibus uitæ non parcit, hoc ipso quod

indignũ sit omnino in uita manere. Atq; is est, qui & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur: quod illud eius sit qui excellat & præstet, hoc eius qui uincatur. Idem maius beneficium reddit quàm accepit. Sic enim debebit is qui prior dederit, ac præterea beneficium accipiet. Eorum que memoria manet magnanimis, de quibus benemeriti sunt: eorum autem non manet, qui beneficia contulerunt. Est enim inferior qui accipit, eo qui dedit beneficium. ait uult hic noster, princeps esse. Ac quæ contulit beneficia, libenter: quæ accepit, de ijs audit inuitus. Itaque Thetis apud Iouem beneficia sua in eum non commemorat, nec Lacedæmonij apud Athenienses, sed illorum erga se. Est etiam magni uiri, nullo omnino, aut uix egere, & opitulari ultro: aduersus que eos, qui in magistratu sunt, prosperáq; fortuna utuntur, magnum: aduersus mediocres, modestum se mediocremq; que gerere. Nam & illis præstare difficile ac gloriosum, & his facile. interq; illos gloriari ingenuum est ac liberale, inter humiles autem & abiectos homines sordidum & importunum. ut si quis cum imbecillis uiribus uelit contendere. Nec solet idem ad ea commeare omnia, quæ sunt in honore & precio, aut ubi obtinent alij principatum. Quietus est etiam & cunctator,

ctator, nisi aut magnus bonos agatur, aut res magna. Paucas res agit ille quidem, sed magnas & dignitatis plenas. Idem & apertè oderit necesse est, & apertè diligat, quòd timidi sit tegere ac occultare sententiam. magiśque ex ueritate pendet, quàm ex opinione. dicit́que ac gerit palàm omnia. siquidem id contemnentis est. Itaque licentiæ ac libertatis est appetens: quod eo facit, quod & contemnat, & uera loquatur, nisi fortè si quid dissimulatione tegendum sit, cui rei locus est apud multitudinem. Nec uerò cum alijs nisi cum amico uita uictú́que coniungitur, quod id seruile existimet. Itaque seruiles & assentatores ijdem, & humiles ijdem qui assentatores esse solent. Et quoniam magnum ei nihil uidetur nihil mirabile ei uideri solet. Non recordatur iniurias. siquidem magnanimi non est meminisse iniurias, sed potius contemnere. nec de hominibus sermonem habet, quandoquidem nec de se prædicabit, nec de cæteris. Nam nec ut laudetur ipse laborat, nec ut alij uituperentur: nec laudat alios libenter. itaq; nec conuiciator est, ne inimicorũ quidem, nisi forte propter cõtumeliam. Minime uerò de ijs malis quæ aut necessariò, aut exigua interueniunt, quæritur, nec in ijs rogare solet. Boni enim uiri est, his in rebus eam animi af-

fectionem constantiamq; retinere. Atque etiam is est qui res honestas & præclaras, quamuis inutiles, fructuosis anteponat. Hoc enim eum potius attingit, qui se ipse contentus est. Incessus etiam magni uiri, tardus sit necesse est, uox grauis, constans & firma oratio. Neque enim aut festinat is qui paucis rebus studet, aut uehemens est cui nihil magnum esse uideatur: at quibus de causis & contentiones uocis suscipiuntur, & in ingressu celeritates. Ac magnanimus quidem eum se præstabit. Qui autem ijs deest officijs, angusto pusilloq; animo dicitur: qui modum transit, elato. qui quidem mali et improbi minime uidentur, quoniam nihil improbè faciunt, sed errãt potius. Nam qui demisso abiectóque est animo, is & quibus bonis dignus est se ipse spoliat, & malo quodam præditus est, quod se indignum bonis iudicat. Idemq; se ipse ignorat. aliter enim ea omnia expeteret, quibus dignus est, cum sint in bonis. Nec stulti quidem uidentur esse, sed pigri potius, quæ eos deteriores facit opinio. Nam cum ea omnes expetant, quæ meritis ipsorum debentur: tamen isti ab honestatis actionibus studijsq; quasi indigni sint, itemq; à bonis externis se remouent. At elato animo uiri et stulti sunt, & se ignorant ipsi, atq; id aperte. Nam tanquã digni sint, ea aggrediuntur,

grediuntur, quibus laus & gloria proposita est, deinde culpantur. Item q; uestitu, gestu, aliisq; eiusdem generis se comunt et ornant: suasq; res secundas notas uolunt esse omnibus, ac de se ipsi prædicant, quod hæ res sint ipsis honori futuræ ac dignitati. Contraria autẽ est magis animi magnitudini abiectio animi, q̃ elatio et altitudo. Nam et sæpius usu uenit, et maius malum est. Ac animi quidẽ magnitudo in magno ut dixi honore uersatur. Videtur autem etiã in eo quædam 4
uirtus cõsistere, quemadmodum suprà dictũ est, quæ eandem habet rationem ad animi magnitudinẽ, quàm ad magnificentiam liberalitas. Nam cum utraq; recedat à magnitudine, tamen nos in rebus mediocribus, modestis paruisq; rectè afficit. Vt autem in accipiendis dandisque pecunijs mediocritas reperitur, nimiũ & parum: sic honorem & gloriam nonnulli nimium expetunt, alij parum: quidam eam quærunt ex ijs factis, unde et quemadmodũ quærenda est. Nam et ambitiosum uituperamus, & eum qui nulla gloria ducitur: illum, quia nimio honoris studio trahitur, & ijs in rebus gloriã consectatur, quibus quærenda non est: hunc, quoniã ne ex rectè quidem factis instituit gloriam quærere. Incidunt autem nonnunquã tempora, cum & ambitiosos ut uiros & honestatis cupi-

dos laudamus, & eos qui nullum honorẽ expetunt, ut moderatos et modestos. Perspicuũ autem est, cum rei alicuius multifariam quis cupidus dicatur, non tamen eodẽ semper referre ambitiosum: sed in laude, ex eo quod auidior sit quàm pleriq; honoris, in uituperio, quòd magis quàm ratio æquitasq; patiatur. Quoniam autem mediocritas uacat nomine, idcirco extrema de ea quasi deserta regione disceptant. Sed quibus in rebus nimium & parum reperitur, in ijs etiã relinquitur mediocritati locus. Atqui honorem homines & nimium expetunt, et parum. Expetunt igitur, & quo modo expetendus est. Quare laudatur habitus, qui modum adhibet in expetenda gloria, etiam si uacet nomine. Hoc autem apparet, si uirtus hæc cum ambitione comparetur, eam uacuitatem honoris: sin cum uacuitate honoris, ambitionem futuram. quod in reliquis etiam uirtutibus cernitur. Quoniamq; mediocritas hic nomen non habet, pugnare extremi inter se uidentur. Mansuetudo etiam seu clementia mediocritas quædam iræ. Sed quoniã medium uacat nomine, ac ferè etiam extrema, ad medium clementiam retulimus, quæ ad id quod parum est deflectit, quòd nomine uacet. Exuperantia autem, iracundia appellatur. Ira enim ipsa perturbatio est, quæ ex multis rebus uarijsq;

rijs q; gignitur. Atq; is quidem qui quibus de rebus, quibusq; hominibus decet, irascitur, quiq; id facit quẽ admodum, quando, & quandiu decet, is laudibus afficitur, quem eundem clementem & mansuetum appellari licet. Siquidẽ in laude clementia est. Vult enim clemens, omni animi uacare perturbatione, non à perturbatione rapi & distrahi. quin etiam ut ratio præscripserit, sic & his de causis et tamdiu uult succensere. Peccare autem in eam partem uidetur, quæ modum deserit. Neq; enim ulcisci cupit clemẽs, sed ignoscere. At uerò defectio, siue lentitudo, siue alio quouis nomine appellari placet, est in uitio. Qui enim minus succensent ob eas causas ob quas decet succensere, ij stulti uidentur: & qui non quomodo, quando, quibus irascendum est. Sunt enim omni sensu doloris expertes, qui irasci nesciũt, nec propulsant iniuriam. Atqui contumelias & conuicia æquo animo ferre, ac in suis negligere, seruorum simile est. Exuperantia uerò illa quidem in omnibus existit, (nam & quibus de causis non est irascendum, irascimur, et uehementius aut remissius, ac diutius quàm ratio postulet) sed tamẽ non in eodem hæc quidem insunt omnia. neque enim possunt. Cum enim per se malum omne labefactat, tum si integrum sit, intolerabile existit. Ac iracundi

illi quidem celeriter commouentur & in quos, et qui bus de causis, & uehementius quàm sat sit: sed facile ac cito etiam eorum ira desistit. quod in illis quidē est optimum. Quod eis propterea accidit, quia iram non continent, sed uicissim reddunt, quia ex ipsorum præcipiti animi commotione quales sint facile apparet, hinc finem faciunt. Qui autem extremæ bilis sunt homines, nimium præcipites sunt, & omni re facile concitantur ad iracundiam, & quauis de causa. unde etiam traxere nomē. At acerbi ægrè placantur, diuq; irati sunt. parent enim animi dolori: quem si semel expleuerint, tum modus apponitur. Vltio enim modū finemq; iræ adhibet, cum pro dolore uoluptatē efficit. Quod si minus fiat, quasi onus quoddam sustinent. Quia enim hoc minus apparet, nemo eis animum potest inducere. & ad mitigandam & quasi concoquendam iracundiam, tempore opus est. Cum autem hoc hominum genus sibi molestissimū est, tum amicis maximè. Infensos autē homines appellamus eos, qui quibus de causis minus rectum est, irascuntur, & uehementius & diutius quàm ratio postulare uideatur. eos etiam, qui non redeunt in gratiam, nisi ultio uel animaduersio sit consecuta. Clementiæ autem repugnat magis uitium, quod modum transit, quòd sæpius accidat.

dat. Nam & ulciſci iniuriam magis naturam attingit humanam: et homines qui infeſto infenſoq; animo homines, minus apti ſunt ad uitæ communionẽ. Hoc autem & ſuprà dictum eſt, & ex ijs quæ docemus nũc, perſpici poteſt, non eſſe dictu facile, quomodo, aut quibus hominibus, aut qua de cauſa, et quandiu deceat iraſci: & quatenus quis rectè faciat, aut peccet. Qui enim paulùm aliquid modum tranſierit, is nõ eſt in uitio, neq; grauiore, neq; minore. Interdũ enim eos laudamus, qui modum deſerunt, clementesq; dicimus: & iratos, uiros appellamus, quaſi imperare poſſint. Ergo quantum quiſq; uel quomodo modum egreſſus, uituperandus ſit, non eſt facile explicare oratione. In rebus enim ſingulis, atq; in ſenſu poſitum iudiciũ eſt. At illud quidem perſpicuum eſt, medium habitũ eſſe laudabilem, quo quibus rectum eſt iraſcimur, quamq; ob cauſam, et quomodo decet, ac cætera generis eiuſdem. Illæ uerò affectiones quæ modum tranſeunt, ac deſerunt, ſunt omnes in uitio: quæ ſi paruæ ſunt, leuiter: ſi maiores, magis: ſi ſingulares, uehementer ſunt reprehendendæ. Hoc igitur perſpicuũ eſt, mediam in his animi affectionẽ obtinendam. Ac de his quidẽ animi affectionib. quæ in ira uerſantur, hactenus. In

conſuetudine autem uitæ ſermonumq; ac factorum com-

communione comes & affabiles uidentur ij, qui ad uoluptatem laudãt omnia, nec ulla in re aduersantur, quòd putent se ijs quibus cum uiuunt, nullo loco molestiæ esse oportere. Qui uerò sunt his multum dispares, & in omni re aduersantur, nec de cuiusquam offensione ac molestia laborant, ij difficiles ac seditiosi uocantur. Non est quidem dubium id, quin hi animi habitus sint in uitio: iśque sit in laude, quo ea omnia quæ recta sunt, utq́; ratio præcipiet, probabũtur, respuenturq́; contraria. Nomen autem ei non est impositum, quanquã amicitiæ simulis parq́; uideatur. Qui enim hac animi affectione præditus est, eundem & bonum uirum & amicũ esse uolumus, adiuncto amore. Hoc autem differt ab amicitia, quòd perturbatione eorumq́; uacat amore, quibuscũ ipse uersatur. Neque enim amore uel odio ductus probat ut decet, omnia, sed quia ita animo est constitutus. Aeq; enim hoc erga notos, erga familiares æque, ac erga eos quorum non est implicatus consuetudine præstabit, nisi quòd in omnibus id faciet pro dignitate. Neq; enim eadem ratio habenda est familiarium & exterorum. Atque hoc quidem iam dictum est genere, eum talem hominem in communione earum rerum quæ ad uitam pertinent, se ita esse gesturũ, ut ratio postulabit. Sin autẽ

honestatis utilitatisq; rationem habuerit, inuestigabit inibitq; rationem, qua non possit offendere, aut certè delectare possit. Nam cum ijs in iucunditatibus molestijsq; cernatur, quæ ex colloquijs nascuntur, quibus in rebus non esset honesta & præclara, aut etiam est nocens delectatio, tũ eas molestè feret, sequeturq; potius offensionem. Quòd si qua res sit eiusmodi, quæ turpitudinem facienti eamq; non paruam afferat, uel incommodum, et contraria leuem molestiam: nõ probabit, sed aspernabitur. Aliter autem cum ijs uersabitur qui auctoritate aliqua præditi sunt: aliter cum quolibet, magisq; aut minus notis. itemq; in alijs uarietatibus suum cuiq; tribuet decorum. quantumq; in ipso est, placere uult ac gratus esse, molestus esse ueretur. Quæ autem eueniunt, ex honestate dico & utilitate, ea si maiora sunt sequitur. magnæq; in posterũ uoluptatis causa leuiter offendet. Ac medius quidem talis est, nec ullo appellatus est nomine. Qui autẽ alijs affert delectationem, in eoq; nihil aliud sequitur, nisi ut gratus sit, affabilis dicitur. At qui id facit, ut adiumentum ad opes adipiscendas, eaq; omnia quæ pecunijs parantur, nanciscatur, is assentator est habẽdus. Eum uerò qui molestus ac tristis est omnib. in rebus, iam difficilem ac seditiosum appellandum diximus.

Pugnare

Pugnare autem inter se uidentur extrema, quòd me-
7 diocritas nomen non habet. Iisdem ferè in rebus arrogantiæ mediocritas cernitur, quæ etiam uacat nomine. Ac de ijs non erit alienum disputare. Nam facilius ea quæ ad mores pertinent intelligemus, si de singulis disseruerimus: et uirtutes mediocritates esse probabimus, si ita esse in omnibus perspexerimus. Iam de ijs qui uitæ societatem uel ad uoluptatem uel dolorem dirigerent, diximus. Nunc de ijs qui uerum uel falsum enunciant, ac præ se ferunt seu factis seu dictis, idq; arrogando, disseramus. Igitur arrogans appellatur is, qui sibi res magnas & præclaras sumit & uendicat, cum non insint, uel maiora quàm quæ insunt. Dissimulator contrà, qui quæ insunt negat inesse, aut extenuat. At uerò medius & perfectus uir, quoniam uerè de quaque re iudicat, in ijs uerax est & uita et oratione: ea in se inesse cõfirmans quæ insunt, nec maiora, nec minora. Licet autem quamq; harum rerum, & rei alicuius, & nullius causa facere: qualisq; est quisq;, talia sunt eius facta, & oratio: itaq; uiuit, nisi rei alicuius agat gratia. Ac per se quidẽ omne in malo uitioq; mendacium est, ueritas honesta & laudabilis. Ita etiã uerus homo, quoniam medium locum obtinet, est omnis laudabilis. Qui autem mentiuntur, utriq; sunt illi quidem

quidem uituperandi, sed maiore quadam ratione arrogans. De quorum utroq; ita disseremus, si prius de ueraci pauca præponamus. Non enim de eo instituimus dicere, qui in pactis rebusq; contrahendis uerus est, aut ijs omnibus quæ ad iniustitiam iustitiaḿue pertinẽt (est enim hoc alterius uirtutis propriũ) sed de eo, qui in quibus rebus nihil tale postulatur & agitur, se & uita & oratione bonũ uirum ac ueracem præstat, hoc ipso, quòd ita sit animo constitutus. quẽ eundẽ bonum uirũ appellari licet. Nam qui ueri cupiditate ducitur, quiq; tum uerũ enũciat, cum id nõ agitur: is multo etiã facilius uerax futurus est, si res postulabit. Mẽdaciũ enim, ut turpe aliquid, uitabit, quod quidẽ etiã per se ipse fugiebat. Atqui talis uir laudãdus est. Sed ad id potius quod minus est ac inferius in ueritate, declinat. Id enim aptius est, quoniã quicquid modũ finẽq; transit, nimiumq; est, id omne molestũ. At uerò qui maiora sibi q̃ quæ insunt, uendicat et sumit, rei nullius causa: est ille quidem improbo similis, (neq; enim mendacio delectaretur) sed tamen stulti potius quàm praui speciem gerere uidetur. Qui autem alicuius rei causa id facit, si gloriæ uel honoris, non est ille quidem admodum uituperandus. qualis est arrogans. At qui pecuniæ, uel earum rerũ causa quæ ad pecuniam

spectant,

ſpectant, is multò deformior eſt. Nec uerò facultate ac poteſtate arrogãs, ſed animo ac uolũtate cernitur. Ex animi enim habitu, & quia talis ſit, omnis arrogãs iudicatur. Ita mendax, alius mẽdacio ipſo delectatur, alius gloriæ quæſtuś ue cauſa mentitur. Atq; ij quidẽ qui cupiditate gloriæ ſibi aliquid tribuunt, ea ſibi ſumunt omnia, quæ uel ad laudem uel beatam uitã pertinent. Qui autem ſpe quæſtus, ea ſibi uendicãt, quæ etiam uſui ſint proximis, quæq; ſi minus adſint celare & occultare licet: uelut ſe medicos ac uates nobiles eſſe profitentur. Ob eamq; cauſam hæc ſibi pleriq; ſumũt & arrogant, quòd in eis inſint quæ diximus omnia. In diſſimulatoribus autem, quoniam ſua ipſorum illi extenuant, lepidiorum morũ ſpecies apparet: quippe qui non uideantur quæſtus cauſa dicere, ſed quòd ſuperbiam magnopere arrogantiamq; fugiant. Sed hi tamen ea diſſimulant maximè, quæ honeſta ipſa ſunt & plena dignitatis, ut Socrates faciebat. Qui autem exiguas res paruiq; momenti, quæq; perſpicuæ ſunt omnibus, diſſimulant, ueteratores dicuntur, ijq; iure contemnuntur. Id quod etiam arrogantiæ datur interdum, qualis eſt ueſtitus Lacedæmoniorum. Nam & ſua extollere nimiũ, & extenuare, quandam ſpeciem fert arrogantiæ. At uerò qui moderatè utuntur diſſimula-

mulatione, ea ut ne dissimulent, quæ ante oculos posita patent omnibus, ij humani uidentur. Sed arrogans quoniam deterior est, ueraci uidetur opponi. Sed 8
quoniam requiei quoque in uita loci aliquid relictum est, in eaq; aliquid ludo cõceditur temporis, efficitur, ut hic quoq; consuetudo quædam congressioq; dicendi quæ honesta sunt, item que audiendi, uigere uideatur. Magnopere autem refert, quid quisq; et dicat & audiat. Ex quo perspicuum est, & transiri in ijs medium, & deseri. Ac illi quidem, qui risu ac facetijs ultra modum prodeunt, scurræ ac importuni habendi sunt, præsertim cum omni ex parte ridiculorum cupiditate inflammati, dent operam potius ut risum moueant, quàm ut quæ honesta sunt dicant, aut ne eum in quem scomma iaciunt, offendant. Qui autem nec facetum quid dicunt ipsi, & tamen eos qui dicunt, permolestè ferunt, agrestes & duri uidentur. At uerò qui salibus & facetijs modum quendam adhibent, ij urbani uocãtur, quasi urbanis moribus præditi. Morum enim hæ sunt indices motiones. Vt enim corpora, sic mores ex motionibus iudicantur. Quoniam autem facetiæ ac sales patent latissimè, complures q; dictis plus capiuntur, quàm ratio patiatur, factum est, ut scurræ urbani quasi appellarentur. Sed

tamẽ ex ijs perſpicuũ eſt quæ dicta ſunt, inter eos ma gnas eſſe diſsimilitudines. Huic aũt habitui animi fini tima dexteritas eſt. Dextri enim ac ingenui eſt, ea et dicere & audire omnia, quæ bono uiro ac libero dig na ſunt. Eũ enim talem hominẽ quædã et ioco dicere decet, et audire. Magna etiã eſt diſtinctio ingenui & illiberalis ioci, eius etiã qui bene inſtitutus eſt, et indo cti. quod in antiqua nouáq; comœdia perſpicere licet. Alijs enim facetũ erat, ſi rerũ turpitudini adhibita e tiã eſſet uerborũ obſcœnitas: quibuſdam, ſi ſignifica tio potius. quibus in rebus magna diſtantia eſt ad libe ralem honeſtamq; formam & ſpeciem. Vtrum igitur qui rectè iocatur, ſalesque iacit, ex eo ſtatuendus ſit quòd ea dicat quæ libero homine digna ſunt, an quòd eum qui audit minime offendat, aut delectet potius, an ne hoc quidem certum eſt? Alios enim alia offen dunt atq; delectant. quæ etiã audient libentius. Quæ enim quiſq; audire ſuſtinet, eadem etiam facere uide tur. Non igitur omnia faciet. Dictum enim quoddam conuicium eſt. Et legiſlatores quædam iactari conui cia prohibent: æquũ autem erat, idem de dictis caue re. Quocirca ingenuus & liber homo ita animo affe ctus erit, ut ſibi ipſe lex eſſe uideatur. Atque is qui dem, qui medium locum obtinet, eum ſe ipſe præſta-

bit, siue ingenuus, siue urbanus nominetur. At uerò scurra à risu longe multum'que superatur, qui nec sibi parcit nec cæteris, si risum concitet. atque idem eiusmodi commemorat, quæ ingenuus nulla ex parte sustineat dicere: nonnulla etiam, quæ ab aurium com probatione abhorreant. Rusticus autem omnino ad has congressiones inutilis est. Nam cum nihil facetum dicat, tamen offenditur omnibus. Atqui uidetur in hominum uitam inuectus ludus necessariò. Tres igitur uersantur in hominum uita mediocritates, quæ omnes, in quorundam dictorum factorum'que societate consistunt. hoc autem differunt, quòd una in ueritate, aliæ in uitæ iucunditate cernuntur. Earum autem quæ in iucunditate positæ sunt, una in iocis, altera in alijs uitæ societatibus congressionibusq; consistit. De uerecundia autem non est quòd ut de aliqua 9
uirtute, dicendum esse uideatur, siquidem perturbationi est quàm habitui similior. Itaq; definitur, esse metus quidã dedecoris et infamiæ. eodemq; modo nascitur, quo metus is, q in reb. asperis formidolosisq; cernitur. Nam et erubescunt, qui pudore afficiuntur: & qui mortis metu exhorrescunt terrore, exalbescunt. Quare ad corpus utrumque quodam modo pertinet, quòd perturbationis magis uidetur q̃ uirtutis propriũ.

Nec uerò omni ætati, ſed pueritiæ conuenit perturbatio. Ea enim ætate qui ſunt homines, uerecundos pudentesq; putamus eſſe oportere. eosq; quoniam libidini parent, peccatis multis contaminari & inſici, à quibus deterrentur propter uerecundiam. Ac adoleſcentes laudamus uerecundos: ſenem autem quòd pudore afficeretur, nemo laudauit unquam. Nihil enim eum exiſtimamus facere oportere eorum, ex quibus pudor naſcitur. Neque enim bono uiro digna uerecũdia eſt: ſiquidem ex malis rebus oritur, quæ faciendæ non ſunt. Nihil autem intereſt, utrum aliæ res perſe turpes ſint, aliæ opinione: quandoquidem neutræ faciendæ ſunt, ut ſit pudori locus. Eſt etiam improbi, ita animo affectũ eſſe, ut quod turpe fœdumq; ſit, uelit facere. Et abſurdum ſit, eo eſſe animo, ut ſi quid tale agas, afficiare pudore, & propterea te bonum uirum iudices. Pudor enim uoluntate ac iudicio omnis ſuſcipitur. Nunc uir bonus nunquam uoluntate ſua quæ turpia ſunt faciet. Sed tamen poteſt aliqua cauſa uerecundiam bonam reddere. ut ſi quis turpe aliquid geſſerit, ex eóque pudore afficiatur. Atqui hoc nuſquã reperitur in uirtutibus. Nec ſi impudentia in malis eſt, & nullo pudore affici ex turpibus factis, malum: idcirco ex his pudore affici bonum eſſe neceſſe ſit,

sit. Ne cõtinentia quidem uirtus est, sed confusa cum omnibus cernitur. De qua idoneo loco disseremus. Nunc sequitur ut de iustitia disseramus.

LIBER QVINTVS.

DE iustitia et iniustitia hoc primum cognoscendum est, quibus in actionibus officijs'que cernantur, iustitia quæ'nam mediocritas sit, quarum'que in rerum ius medio & æquabilitate consistat. Qua in rerum cognitione & disputatione eandem quam in superioribus libris, uiam & rationem sequemur. Videmus quidem eam animi affectionem omnes iustitiam dicere, qua apti sunt ad res iustas gerendas, qua'que res iustas & faciunt, & cupiunt facere. Eodem'que modo de iniustitia sentiunt, qua iniuriam faciunt, & ad res iniquas iniustasq; impelluntur. Itaq; hæc primum quasi simpliciter præponimus. Neque enim ita est in scientijs et facultatibus, ut in habitibus. Facultas enim et scientia, contrariorum eadem uidetur esse: habitus autem contrarius contrariorum non uidetur. ut à ualetudine non efficiuntur cõtraria, sed solum salubria. Ambulare enim quempiã rectè dicimus, cum ambulat

ut ualens. Contrarius ergo habitus ex contrario sæpe intelligitur: plerunque etiam habitus ex rebus subiectis. Etenim si firma corporis affectio nota sit, infirma quoque nota constitutio est: ex ijsq; rebus quæ firmam affectionem efficiunt, firma affectio: & ex hac ipsa, quæ ad firmam constitutionem pertinent. Si enim bene constitutum corpus positum est in carnis craßitudine, necesse est malè constitutum affectumq; corpus in carne tenui consistere: quodq; ad bene constituendum corpus conducat, carnis efficere craßitudinem. Consequitur etiam ferè, ut si alterum multis modis dicatur, multi etiam modi sint alterius. Velut si quod iustum est & iniustum uarijs modis dicatur, uarijs etiam modis dici iniustitia & iustitia uideantur. Sed quia uicina est ac finitima eorum nominum homonymia, id occultum est: nec sic perspicuum, ut in ijs quorum magnæ sunt dißimilitudines. Magna enim ea differentia est, quæ ex forma ducitur. ut uocatur clauis communi nomine & ea quæ sub collum animalium apponitur, & ea qua ostia clauduntur. Hoc igitur intelligendum est, multis modis iniustum hominem uocari, uideturq; iniustus esse & is qui leges uiolat, & is qui nimio studio amplificandarũ rerum suarum tenetur, & is qui iniquus est: ut perspicuum sit

iustum

iustum esse eum, qui pareat legibus, & qui æquus sit. Iustum ergo id erit quod leges iubent, & quod æquũ est: & iniustum id, quod contra leges est, & quod iniquum. Et quoniam est etiam iniustus is qui rebus augendis nimium occupatus est, uersabitur in bonis, nõ omnibus quidem, sed in ijs tantummodo in quibus res aduersæ prosperæque consistunt. Quæ bono sunt semper illa quidem, sed alicui non semper. Atque hæc optant homines, ac persequuntur, nec debent: sed optare debent potius, ea sibi salutaria esse, quæ uerè bona sunt, & sequi quæ sibi bono sint. Sed iniusti non semper in duobus malis maius, sed etiam leuius eligunt. Sed quia minus malum etiam boni speciem gerit quodam modo, & boni adipiscendi maior in ijs ineſt cupiditas, idcirco plus apptetunt. Sunt autem iniqui, (hoc enim continet, late que patet. continet enim quod iniquum est, & maiorem & minorem iniuriam) & leges uiolant: quoniã hoc ipsum uiolare leges ac iniquum esse, iniustitiam omnem completitur, fusumque est per omnem iniustitiam. Quoniam autem omnis est qui contra leges facit, iniustus, et omnis iustus qui paret legibus: perspicuũ est ea omnia quæ legitima sunt, in iustis esse numeranda. Quæ enim à disciplina legum ferendarum cõstituta sunt,

ea legitima habentur, quorum quicque in iustis esse dicimus. Leges autem iubent omnia, in quo uel communem omnium utilitatẽ exquirunt, uel optimorum, uel principum: id' que uel actionibus uirtutum, uel quia ius alia ratione assequuntur. Quocirca iusta appellamus, ea quæ beatam uitam aut eius partes in ciuili societate efficiunt ac tuentur. Ac lex quidem et fortiſuum officiũ præscribit, ut non deserere ordinem, nec fugere, nec arma abijcere: & clementi, nõ uerberare, neq; conuiciari: & temperato, non adulterari, nec contumelia afficere. itẽq; in cæteris uirtutibus et uitijs, illa iubet, hæc uetat. Ac salutaris quidẽ habenda est ea quæ rectè lata est: quæ inconsultè & inconsideratè, perniciosa. Atq; hæc iustitia, absoluta est illa quidem uirtus et perfecta, nõ si ad sua, uerum si ad alterius commoda referatur. Ob eamq; causam hæc una uirtus omnium est domina et regina uirtutũ, neq; hesperus aut lucifer tantã sui excitant admirationẽ. Ex quo factũ est iam tritum sermone omnium prouerbiũ, Iustitia una omnes uirtutes reliquas contineri. Eadẽq; uirtus perfecta est ob id maximè, qd' inest in ea usus uirtutis undiq; perfectæ. Perfecta est autem propterea, quòd qui ea præditus est, is etiã erga alios, nõ in se modò, uirtutẽ exercere ac excolere potest. Pleri

que

que enim in ſuis rebus præclarè ſe gerere poſſunt, in alienis nõ poſſunt. Quocirca præclarũ eſt illud Biantis, Magiſtratum uirum oſtendere. Qui enim præeſt in Republica, is iam res curat aliorum. ob eamq; cauſam omnium uirtutum ſola iuſtitia, in bonis alienis dicitur, quia ad alterius commoda referri debeat. Aliorum enim commodis utilitatiq; ſeruit, aut principis, aut Reipub. Ac ſceleratiſsimus quidem eſt habendus, is qui malitiam, & ad ſuam & amicorum perniciem exitiumq; conuertit. Optimus autem, is qui uirtutem non ad ſuam, ſed aliorum utilitatem refert. Eſt enim hoc arduum opus. Atq; hæc ipſa iuſtitia non pars uirtutis eſt, ſed uirtus uniuerſa: & iniuſtitia ei oppoſita, non pars uitij eſt, ſed uniuerſum uitium. Qualis autem ſit differentia uirtutis & iuſtitiæ de qua agimus, perſpicuũ ex ijs eſt quæ dicta ſunt. Eſt enim re idem, cogitatione autem non idem. ſed quia ad alterum refertur, iuſtitia: quia habitus eſt, omnino uirtus nominatur. Quærimus autem quidem iuſtitiam, quæ 2
pars ſubiecta eſt uirtuti, (eſt enim quædam, ut diximus) & iniuſtitiã eam quæ pars eſt. Aliquam autem eſſe eiuſmodi, ex hoc facillimè perſpici poteſt. Nam qui agit eorum aliquid, quæ cæterorum utiorum ſunt propria, is facit ille quidem iniuriã, attamen nihil con

sequitur amplius. Velut si quis abijciat clypeum propter ignauiam, aut maledixerit per iram, aut pecunijs non iuuerit propter auaritiam. Cum autem plus adipiscitur quis, sæpe ad nullum eiusmodi, uitium illud, nec ad uniuersa, sed ad certum iam aliud pertinet. uituperamus enim. Est igitur quidem aliud genus iniustitiæ, quæ ut pars subiecta est generali, itemq; alia iniuria subiecta generi quod est contra leges. Præterea si quis quæstus causa stuprum inferat, quæstumq; occipiat, alter cupiditate incensus faciat: hic intemperans potius quàm auidus esse uideatur: ille iniustus, intemperans non item. Perspicuum est igitur, hoc propter quæstum cõtingere. Iam uerò in cæteris scelertibus omnibus, si peccetur, id semper ad certũ aliquod peccati genus refertur, et pertinet. ueluti si adulteratus est, ad libidinem & intemperantiam: si in acie locum & ordinem deseruit, ad ignauiam: si pulsauit, ad iracundiam. at si quæstum fecerit, ad nullum uitiũ refertur, nisi ad iniustitiam. Quare perspicuum est, esse præter generalem certam quandã iniustitiam, quæ illi subiecta sit, eodem nomine appellata, quoniam in eodem genere posita est definitio. In rebus enim alienis utraq; uim suam obtinet. Sed hæc in honore, aut in pecunijs, aut in salute, aut si quo uno nomine hæc complecti

cõplecti omnia poßumus, & in uoluptate ea quæ ſpe quæſtus percipitur. Illa in ijs ſpectatur rebus, in quibus uir bonus. Hoc ergo iã apparet, iuſtitiæ plura eſſe genera, aliudq; eſſe præter generalem uirtutem, iniuſtitiæ genus. Quæ autem, qualiq; ſit, deinceps explicandum eſt. Partitio à nobis poſita eſt, rerum iniuſtarum alias eſſe contra leges, alias contra æquitatẽ. Et iuſtarum alias legitimas, alias æquas. Ac iniuſtitia quidem de qua ſuprà dictum eſt, ab ea quæ contra leges eſt iniuria naſcitur. Quoniam autẽ iniuria ea quæ repugnat æquitati, et quæ legibus, non ſunt eædẽ, ſed altera pars eſt ſubiecta generi (quod enim iniquũ eſt, id omne contra leges eſt: quod autẽ contra leges eſt, non omne etiam iniquum. nam quicquid plus eſt, omne iniquum eſt: quod autem iniquũ, nõ plus etiam) efficitur, ut quæ iniuſta ſint & iniuſtitia, non ſint idem quod illa, ſed aliud omnino. Hæc enim tanquam partes ſunt, illa tanquam genera. ſi quidem hæc ipſa iniuſtitia pars eſt iniuſtitiæ generalis, itemq; iuſtitiæ ſubiecta eſt iuſtitia. Quare et de iuſtitia & de iniuſtitia, quæ ut partes ſubiectæ ſunt generi, nobis dicendum eſt, et de iure et iniuria. Prætermittenda eſt igitur nobis iuſtitia ea quæ generali uirtuti attributa eſt. et iniuſtitia: quarũ in altera uſus uirtutis generalis aduerſus

alterum

alterum cernitur, in altera uitij. Ex quo etiam perſpicuũ eſt, ea quæ iuſtè & iniuſtè ab ijs proficiſcuntur, eſſe explicanda. pleraq; enim iura legitima, à generali uirtute ferè præſcripta ſunt. Nam & ex quaq; uirtute uitam degere, perſcribit lex: & ex uitijs, uetat. Efficientia autem uirtutis generalis, legitima ſunt ea omnia, quæ de diſciplina publica cauta ſunt legibus. Nam de ea diſciplina quam ſibi quiſq; priuatim deligit, ex qua boni uiri nominantur, utrum ad ciuilem ſcientiam pertineat, an ad aliam, alio loco diſputabimus. Neq; enim idem fortaſsis uir bonus, idem bonus ciuis uocatur. Sed iuſtitiæ, quæ tãquam pars ſubiecta eſt generi, iurisq; eius quod ab ea ducitur, unum genus eſt, quod in tribuendo honore, uel argento cernitur, cæteris ue rebus omnibus, quæ diuidẽda inter eos ſunt, qui in ciuili ſocietate & cõmunione uerſantur. ea enim poſsũt uel æqualiter inter ciues diuidi, uel inæqualiter. Alterũ genus eſt, quod in pactis cõtrahendis rebus emẽdandi cauſa adhibetur. Cuius ſũt duæ partes. Nam contractuũ alius uoluntatis eſt, alius nõ eſt. Volũtarij ſunt, ut uenditio, emptio, mutuũ, uadimoniũ, locatũ, depoſitum, conductũ. qui uoluntarij ppterea dicuntur, quòd à uolũtate noſtra principium eorũ proficiſcatur. Eorũ autẽ qui nõ ſunt uolũtatis noſtræ,

partim

partim clandestini sunt, ut furtum, ut adulterium, ut ueneficium, ut lenocinium, ut seruorum solicitatio, ut cædes dolo facta, ut falsum testimonium: partim ui fiunt, ut uerbera, ut uincula, mors, rapinæ, membrorũ debilitatio, conuitium, contumelia. Quoniam autem iniustus iniquus est, & quod iniustũ est, idem iniquum: perspicuum est, certum esse medium eorũ quæ iniqua sunt, idq; æquum nominari. In quacunq; enim actione plus & minium uersatur, in eadem etiam minus æquumq; cernitur. Quod si quod iniustum est, idem inæquabile est: profectò quod iustum est, idem sit æquabile necesse est. Quod autẽ æquabile est, id in duobus minimis cernitur. Necesse est igitur quod iustum sit, medium quiddam esse & æquabile: referriq; ad aliud, & quibusdam esse æquabile. Ac quatenus medium est, aliquorum est: quæ plus minus ue nominamus. quia æquabile est, in duobus spectatur: quia ius, quibusdam tribuitur. Ita necesse est, quod iustum sit, in minimis quatuor consistere. Inter quos enim ius est, duo sunt: in quibus cernitur, res duæ. Eademq; erit æquabilitas & parilitas, et eorum hominũ inter quos ius est, et earum rerum in quibus ius spectatur. Vt enim inter se affectæ sunt res eæ in quibus ius positũ est, sic etiam ij inter quos ius est, inter se affecti sunt. 3

Neq;

Neq; enim si pares non sint, paria aut præmia consequentur, aut supplicia dabunt. Aliter pugnæ hinc, criminationes, querelæq; nascuntur, si qui pares sunt dignitate, nõ æqua præmia, aut qui pares nõ sint, æqua ferant. Quod etiam ex eo perspici potest, quod cuiq; tribuitur pro dignitate. Nam quod ius positum est in legibus, id omnes confirmant pro dignitate esse oportere. Dignitatẽ autem non eandem omnes dicũt comparatam: sed in libertate eam ponunt, qui eam formam Reipub. sibi proposuerunt, in qua populus præest, in qua pauci præsunt, in diuitijs. alij in nobilitate generis. qui optimum Reipub. statum sibi constituerunt, in uirtute. Quod ergo ius est, id proportione est. Neq; enim solũ numeri, quo quid numeramus (μοναδικὸς Græcè dicitur) sed ueri etiam propriq; numeri (numeratum appellant) propria est proportio & comparatio. Est enim proportio parilitas similitudoq; rationis, quæ in minimis quatuor reperitur. Ac deiunctam quidem proportionem perspicuum est in minimis quatuor consistere, itemq; coniunctã. Vnum enim in hac pro duobus adhibetur, bisq; dicitur: uelut, quemadmodum A ad B, sic B ad C. bis igitur B dictum est. Quo circa si bis ponatur B, quatuor erunt analoga, id est, quæ eandem inter se rationem habeant. Atq; etiam in

quatuor

quatuor minimis quod iustum est, cernitur, eademq; ratio est. Deiuncti sunt enim similiter ij quibus tribuendum est, et ea quæ tribuenda. Ergo ut est A extremum ad B, sic C ad D. uicissimq; ut est A ad C, ita B ad D. Ergo et tota ad tota, quod quidē coniungit partitio. Quod si ita etiam cōponatur, rectè cōiunxerit. Ipsius ergo A extremi cum C, & ipsius B cum D cōiunctione ius quod tribuendo paritur, omne cernitur, estq; ius in medio, id est eius, quod non eandem habet cum alio proportionē atq; rationem. Quod enim analogon est, idem medium: quod autem iustum est, idem medium est analogon. Hanc proportionem uocant Mathematici geometricam, quòd in ea contingit ut tota uti cum totis, sic utraq; cum utrisque conferantur. Non est autem coniūcta hæc analogia, propterea quòd non fit unum numero extremum cui tribuitur, et quod tribuitur. Atq; hoc quidem ius, analogon est: quod autē iniustum est, non est analogon. Existit ergo hic plus et minus, quod quidem etiā in actionibus accidit. Qui enim alterū uiolat, boni plus adipiscitur: qui uiolatur, minus. Cōtrà fit in malis, propterea qđ leuius malum speciem quandam fert boni, si cū maiore cōferatur. Est enim minus malum potius quàm maius eligendū. Quod autē eligendū est, id bonū est. qđ

potius

potius eligendum est, id etiam maius bonũ. Ac de uno
4 quidem iustitiæ genere hactenus. Sequitur, ut de
una reliqua parte iustitiæ dicamus, quæ quidem in re-
bus quæ contractæ sunt emendandis cernitur, et uo-
luntarijs & non uoluntarijs. Huic autem generi alia
quædam pars subiecta est, atq; superiori. Nam quod
ius in diuidendis tribuendisq; publicis rebus cõsistit,
semper in ea quam dixi proportione uersatur. Hoc e-
nim ipsum, si diuidundæ sint publicæ pecuniæ, eandẽ
rationem habebit quam habent inter se collatæ pecu-
niæ. eaq; iniuria quæ huic iuri contraria est, nullã ha
bet proportionem. At uerò ius id quod in contrahen-
dis negotijs cernitur, est illud quidem æquabile & in
iuria iniqua, sed tamen nõ ad illam analogiam seu cõ-
parationem, sed ad arithmeticam pertinet. Nihil enim
interest, utrũ bonus uir sceleſtũ spoliauerit, an bonũ
improbus. sed lex incõmodi solũ spectat dissimilitudi
nẽ, utiturq; pro paribus, si alter uiolauit, alter uiolatus
est. & si hic damnũ dedit, ille accepit. Ideoq; iniuriã
hanc, quoniam iniqua est, ad æquitatem iudex et pa-
rilitatem conatur traducere. Nam cum hic uerbera-
tus sit aut interfectus, ille uerberarit aut etiam inter-
fecerit: diuisa in inæqualia, perpessio & actio est, sed
eam ad æquitatem damno redigere conatur, quæstu
lucro-

lucrõque detracto. uocatur enim, in rebus eiusmodi, etiam si minus aptum quibusdam nomen uideatur, in eo qui uerberauit, lucrum & quæstus: in eo qui uiolatus est, damnum. Cum autem perpessio ad æquitatem reuocata est, hoc damnum, illud lucrum nominatur. ita & eius quod amplius est, & eius quod minus, medium æquabilitas est. Illa autem uocantur lucrum & damnum, quorum illud amplius, hoc minus, quòd scilicet boni plus quæsitum sit, mali minus. quorum quidem medium æquabilitas est, quam eandem ius esse dicimus. Ergo ius illud quod ad emendandum ualet, medium sit necesse est damni & lucri. Itaque cum orta controuersia est, confugiunt ad iudicem: quòd confugere ad iudicem hoc sit, ad ius proficisci. Profitetur enim se iudex legem esse loquentem. Conquirunt etiam iudicem omnes, qui medius sit atque perfectus, quem eundem nonnulli arbitrum honorarium appellant, quòd si quando medium consequantur, ius suum se putent obtinere. Medium ergo quiddam ius est, siquidem etiam iudex. Et iudex quidem ad æquabilitatem reuocat, similiterq; facit ut si linea in partes non æquas secta sit, & detrahat particulã, qua maior præstat dimidiatam, eamq; ad breuiorem addat. Cum ergo bifariam aliquid totum sectum est, tum suum quis-

que tenere se prædicat, cũ ius æquabile obtinuit. Æquabile aũt ius in medio positũ est eius quod maius minusq; est, proportione arithmetica. Ob eamq; causam ius δίκαιον uocatur (qđ δίχα, id est diuisum sit, ut si quis uocet ius δίχαιον.) et δικαστὴς, id est iudex, διχαστής. Si enim res duæ pares sint, ab earũq; altera detrahatur quippiam quod ad alterã addatur: duabus his partibus præstabit alteri. Etenim si detracta fuisset, non etiã addita, profectò una modò parte superaret. Dimidium ergo superat una parte, et ipsum dimidium superat una id, unde pars illa ablata est. Hinc ergo perspicere possumus, & quid ei adiumentum sit qui plus est consecutus, & quid addendum ei qui minus. Qua enim quisque re medium præstat, ea addenda illi est, qui minus tulit. & qua superatur, à maxima est auferenda. Ponamus tres esse lineas æquas inter se, A A. B B. C C. Ab A A linea detracta pars A E, addatur ad C C lineam, appelleturq; C D. Ita tota linea C C D, lineam E A uincit parte C D, & parte C E. Ergo lineam B B parte C D, uincit. Quod etiam in alijs artibus cõtingit. Tollentur enim funditus, nisi & quantũ & quale opus efficiat artifex, tantundẽ ac tale is qui patitur patiatur. Profecta sunt autem damni et lucri nomina à con-

contractu uoluntario. Nam uendendo, emendo, alijs[que] omnibus quæ lege concessa sunt, excolendis, & tractandis, si maiores opes adipiscare, quàm tuæ sint, is demum quæstus ac fructus dicitur: sin minus, damnum. At uerò si neque maiores neque minores sunt, constant'que suæ cuique opes: tum se sua quisque habere confirmant, ut nec damnum acceperint, nec quicquam profecerint. Quare in damni lucri que medio ac moderatione ius positum est, quòd non à uoluntate interim proficiscitur, cum & antè quàm res contrahatur, & postquam cõtracta est, æquabile ius obtinetur. Aeque etiam lex talionis uidetur quibusdam iusta esse omnino: in qua sententia Pythagorei fuerunt. Definiebant enim omnino id ius esse, quod uicissim quisque pateretur. Atqui ius hoc nec ad legitimum, neque ad ciuile pertinet. Ciuile autem dico, id quod commune est inter ciues, & ad communionem pertinet. Et lex talionis nec ad ius quod in tribuendo cernitur, nec ad id quod emendandi causa comparatum est, accommodatur. Atqui uolunt hoc quidem etiam Rhadamanthi ius dicere,

Si quod quisq; facit, idem patiatur & ipse,
Id iustum fiet deniq; iudicium.

Multis enim id locis alienum esse uideatur. ueluti, si quempiam magistratus uiolauerit, nõ sit referiendus. Et si quis principem uiolauerit, non solum referiendus, sed supplicio etiam coërcendus. Præterea permultum interest, utrum uoluntate ac sponte nostra, an inuiti quid faciamus. Quinetiam in communicationibus rebusq; contrahendis, hoc ipsum ius talionis proportione, non æquabilitate concluditur. Reddendis enim proportione beneficijs stat respub. Aut enim male mereri cupiunt homines: quod si minus cõtingat, seruitus uidetur esse, nisi uicissim benigne fiat. aut beneficia conferri: sin minus, non extat gratificandi & remunerandi utrinque uoluntas. Atqui accipiendis reddendisque ultro citroque beneficijs, stant ciuitates. Itaq; Gratijs delubra media urbe consecrantur, ut referatur gratia. Hoc enim gratiæ est proprium. Est enim ei qui gratificatus est referenda gratia, ut ille iterum ineat gratiam. Facit autem à media linea ducta coniunctio, proportione remunerationem. ueluti esto architectus A. sutor B, domus C, calceus D. Architectum igitur necesse est à sutore ipsius opus sumere, eique suum tradere. Si ergo primum paritas proportione extiterit, deinde ultro citroque accipiendi ratio, tum quod dixi extabit omni no:

no: Sin minus, nec æquabilitas extabit, nec societas retinebitur. Nihil enim prohibet unius esse opus, quàm alterius præstantius. Decet igitur quidem hæc omnia ad æquabilitatem referri. Quod etiam in alijs fit artibus. Tollantur enim omnes funditus, nisi quãti precij opus artifex effecerit, tantidem emat qui accipit. Neque enim inter duos medicos intercedit communicatio & societas, sed inter medicum & aratorem, atque eos omnes qui diuersas inter se ac dissimiles, non easdem uitæ degendæ rationes ingressi sunt, quos ad parilitatem decet æquabilitatem'que traduci. Itaque res omnes oportet, quarum est contractus, quadam inter se similitudine respondere. Quem ad usum numus comparatus est: qui quoniam omnia metitur, idcirco medium ac mensura quodam modo efficitur. Quocirca præstantiam etiam ac imminutionem metitur, ut quod tandem calcei, domus, uel alimenti precium possint adæquare, intelligatur. Aequum est igitur, ut architectus est ad sutorẽ, tot esse ad domum uictum' que calceos. Si enim minus fiat, nec inter illos pactum intercedat, nec ulla cõmunio. Quòd si non sint quodam modo paria, non contrahent. Ergo quemadmodum suprà dixi, una re aliqua ponderanda sunt et æstimanda omnia. Idq; reuera in-

digentia est, qua omnia continentur. Etenim si nullo egerent homines, nihil' que requirerent: profectò aut non similiter, aut nullum, aut certè non idem inter eos pactum conuentum' que intercederet. Sed introductus numus est ex instituto, quasi inopiæ ac indigentiæ præsidio futurus. Ob eam' que causam nomen duxit, quòd non à natura, sed à νόμῳ, id est lege, numus sit ortus: in nobisq; id sit, ut mutetur reddaturq; inutilis. Futurus est igitur tum demum locus reliquus legi talionis, cum parilitas æquabilitasq; seruabitur. Vt quemadmodum est architectus ad sutorem, sic sutoris opus ad architecti. Non sunt autem ad formam ac speciem proportionis deducendi tum, cũ iam rem inter se cõtraxerint, (nam aliter extremum alterum utramque præstantiam obtinebit) sed cum sua quisque tenebit. Sic pares socij' que futuri sunt, propterea quòd iam inter ipsos hæc ipsa æquabilitas posit intercedere. Esto arator A. uictus C. sutor B. opus illius ad parilitatem traductum, D. Quòd si hoc modo non & uicissim darent & acciperent, nunquam ullam rem inter se contraherent. Nam indigentia hæc omnia quasi uinculo quodam contineri, hinc intelligi potest, quòd cum uterq; alter' ue nihil desiderat, contractus inter eos nullus

solet

solet interuenire. Quemadmodum cum alicuius rei, uerbi causa, uini, penuria laborat quis, qua alter abundat, eo dato exportatur triticum. ita ad parilitatem sunt hæc reuocanda omnia. Futuri autem contractus numus ipse quasi fideiussoris loco est nobis, etiam tum cum nihil opus est contractu: quòd si sit opus, præsto sit futurus. sic enim possit eum cum uolet adhibere, qui offert. Ac idem ille quidem patitur, (neq; enim semper æquum potest) sed tamen permanere potest diutius. Itaq; debent rerum omniũ certa esse precia. sic enim cõtractus futuri sunt sempiterni: qui quamdiu futuri sunt, tandiu futura est hominũ inter ipsos societas & communio. Numus igitur tanquam norma & regula res aptè cum dimensus est inter se, tum adæquat eas, ad parilitatem q; traducit. Neq; enim sublato cõtractu, consistere societas ullo modo potest: neque contractui loci aliquid relinquitur, parilitate sublata: neq; parilitati, sine apta quadam rerum inter se mensura & compositione. Ac uerè ut dicam, non possunt res tam inter se dissimiles, ullo modo inter se cõponi: sed quantũ satis sit ad usum necessitatẽ q;, possunt. Vnũ ergo aliqd necesse esse adhiberi, id q; institutio: itaq; numus uocatur, qđ omnia aptè componat. siquidem numo omnia ponderantur.

Esto domus A. libræ decem B. lectus C. atque A sit B dimidium, ut intra quinque pondo consistat domus precium, C autem pars sit decuma ipsius B. perspicuũ est quidem, lectos quinque domus æquare precium. Hoc etiam apparet, hanc rerum contrahendarum rationem, antequam numus inuentus esset, fuisse seruatam. Nihil enim interest, utrum lecticæ dentur, an pecunia. Ac quid iniustum sit, quid ue iustum, diximus. Quibus expositis, perspicuum est, res iustas facere, medium esse inter facere & accipere iniuriam: quoniam illud est plus adipisci & obtinere, hoc minus. Sed iustitia mediocritas est illa quidem, non tamen quomodo superiores uirtutes, sed quia ad medium, id est, æquabilitatem pertinet. At uerò iniustitia in utroque extremo posita est. Iustitia etiam uirtus est, qua quis aptus est & propensus ad ea animi iudicio præstanda omnia, quæ iusta sunt, officia' que tribuenda & sibi, si cum altero: & alteri, cũ altero si cõferatur: non ita tamen, ut sibi plus emolumenti, proximo minus, damni autem contrà: sed ut suum cuique proportione tribuat. Item' que alij ad alium. Contra' que iniustitia in inæqualitate uersatur, quæ eadem emolumenti ac detrimenti amplificatio & imminutio est, nulla habita ratione dignitatis.

Itaq;

Itaq; nimium & parum iniustitia est, propterea quòd in exuperantia & defectione cõsistat. Ac in sua quidem causa, si agatur utilitas, modum egreditur: sin detrimentum, deest moderationi. At si res aliorum agatur, de toto genere idem statuit. de eo autem quod abest à dignitate, utcunque res feret. Accipere autem quàm facere præstat iniuriam. Ac de iustitia & iniustitia, quæ tandem utriusq; uis sit & natura, iteḿ que de toto genere iuris & iniuriæ, satis multa dicta esse arbitror. Quoniam autem fieri potest, ut quis in- 6
iuriam faciat, nec sit ipse iniustus: quam tandem iniuriam inferẽdo in quoq; iniustitiæ genere iam iniustus habeatur, ut fur, aut latro, aut adulter: an ne sic quidem interſit, quæstio est. Nam qui non animi iudicio uel ratione, uerùm animi perturbatione ducatur ad contrectandam mulierem, sciens quam contrectet: faciat ille quidem iniuriam, sed tamen nondum sit iniustus. quemadmodum nec fur, qui furatus est: nec adulter, qui adulteratus: iteḿ q; in cæteris. Ac iam quidem suprà quam rationem lex talionis ad ius haberet, explicauimus. Hoc autem ignorare non debemus, id ius quod quærimus, & omnino ius & ciuile esse. Ius autem ciuile est, quod in societate & communione uitæ positum, eò adhibetur, ut uel proportione, uel numeri

ratione satis magna sit multitudo hominum, qui liberi sint, uel æquo inter se iure uiuant. Itaq; inter quos hoc non est, inter eos ius ciuile non est ius, sed quoddam par ac simile. Inter quos enim iuris communio est, inter eosdem etiam communio legis est. Inter quos porrò est communio legis, inter eosdem societas iniuriæ est. Iudicium enim, iuris & iniuriæ diiudicatio est. Inter quos autem iniuria est, inter eos iniuriæ faciendæ communio est. Quibus autem inter eos iniuriæ faciendæ communis ratio est, non est etiam inter eos omnes communio iniuriæ. Quæ cum sint, sibi ipsi plus eorum quæ per se bona sunt tribuere, & quæ mala sunt minus: idcirco non hominem imperare sinimus, sed rationem, quòd hæc sibi ille sumit, fitq; tyrannus. Est autem custos conseruatorq; iuris, princeps. Quòd si iuris, & æquabilitatis. Et quoniam si iustus sit, nihil sibi præterea sumit & attribuit, (neque enim sibi plus tribuat, quàm alijs, eorum quæ per se bona sunt, nisi habita ratione dignitatis) idcirco quæcunq; agit, ad aliorum commoda refert. Ob eamq; causam, in bonis alienis, ut suprà diximus, iustitiã numerant. Danda igitur merces aliqua est, quæ cum sint honor & gloria, quibus hæc non sunt satis magna præmia, ij efficiuntur tyranni. Ius autem domini in seruos, uel patris

patris in liberos, non idem, quod illa, est. Neq; enim cuiquam secum omnino iustitiæ ullis in rebus communio est. Atqui possessiões ac liberi quoad adoleuerint, diuisíq; sint, in membris patris sunt habendi: & sibi nemo uult obesse. Non est igitur cuiquam erga seipsum iniuriæ locus. Non igitur iuris & iniuriæ ciuilis societas & communio. Lege enim introducta sunt, interq; eos omnino illorum societas est, inter quos natura legis communio est. Qui quoniã sunt ij, inter quos æquabilis quædam est imperandi parendiq; uicissitudo, idcirco inter uirũ & uxorẽ potius, q̃ inter patrẽ et liberos, dominũ et seruũ, cõmunio iuris est: quia in hoc ius domesticũ et familiare cernitur, quod aliud est atq; ciuile. Ciuile autẽ ius aliud naturale est, aliud le 7
gitimũ. Naturale est, cuius uis idẽ apud omnes ualet, non quod sic uideatur, aut secus. Legitimũ autem id appellatur, quod initio nihil interfuit, sic an secus fieret: cum autẽ latũ positumq; est, iam interest. ueluti, captos mina redimi, aut capram immolare, non duas oues. præterea quæ lege cauta sunt de rebus singulis, ut Brasidæ sacra facere. & quæ publicis decretis sancita sunt. Atque hæc ratione quidem nonnullorum eiusmodi sunt, propterea quòd quæ naturalia sunt, eadem immutabilia sunt, & ubique idem ualent,

(ut

(ut ignis & hic & apud Persas urit) & quòd uidentur iura mutari. Sed non ita est omnino, sed quodammodo. Nam apud Deos quidem nusquã mutabile est, quod natura est insitum: apud nos autem quædam certè à natura insita & tributa mutantur, etiamsi non omnia. Sed tamen aliud natura constat, aliud non natura. Quæ autem natura constent, ac secus etiam atque sunt euenire possint, quæq; non possint, quoniam lege & pacto cõstant, (siquidem utrunq; mutari potest) hinc perspici potest, atq; ad cætera omnia eadẽ ratio accõmodabitur: quòd cum robustior sit dextra natura, tamen fieri potest, ut omnes læua pro dextra utantur. At iura ea, quæ conuentis & utilitate diriguntur, similia sunt mensuris omnia. Neq; enim ubiq; terrarum æquæ ac pares sunt uini tritici q; mensuræ, sed quo in loco emuntur, maiores: ubi uenduntur, minores. Itemq; iura non naturalia, sed humana non idẽ ubiq; ualent, quando ne Res quidem publica, sed ea una quæ ubiq; optima ducitur. Iura autem & legitima iura, eandem inter se habent rationem, quam res uniuersæ ad singulas. Quæ enim geruntur, multa sunt. illorum unumquodq; unum, quoniam ad rem uniuersam referuntur. Differt autem ab eo quod iniustũ est iniuria, & rectè facta ab eo quod iustum est. Quod

enim

enim iniustum est, omne est uel natura uel instituto. quod ipsum posteaquam factum est, iniuria dicitur: prius quàm gestum sit, nondum iniuria est, sed iniustum: quod cum factum est, iam iniuria nominatur. Eadem est ratio rectè iustéq; factorũ. Sed tamẽ quod generale est, magis δικαιοπραγημα dicitur. & δικαίωμα, iniuriæ emendatio & compensatio. Quorum omnium quæ quotq; sint genera, quibusq; in rebus uersentur, mox perspiciemus. Sed cum ea quæ 8
iusta sunt, quæq; iniusta, ea sint quæ exposuimus: tum quisq; facit iniuriam, æquumq; facit, cum uoluntate sua facit: cum inuitus, nec iniuriam cuiquam infert, nec æquum facit, nisi fortuitò, quòd ea gerat, quæ ut bona sint, euenit. Atqui uoluntate, iniuria, & rectè facta definita sunt. Cum enim à uoluntate proficiscitur, tum & in uitio est, & simul iniuria est. Ergo aliquid iniustum est, quod non idem iniuria est, nisi uoluntas accesserit. Dico autem uoluntarium id, quod in sua quisq;, ut dixi, potestate positum, sciens agit, nec eum ignorat in quo uersetur actio, nec quo quasi instrumento rem agat, nec finem ipsum. ut uerbi causa, quem uerberet ac pulset, quoq; instrumento quaq; de causa pulset. atq; illa non casu aut ui faciat, ueluti si quis arrepta manu alterius, eum pulset, non faciat ille

sua

ſua uoluntate, quandoquidem in eo id ſitum nunquã fuit. Fieri etiam poteſt, ut & pater pulſetur, & is qui pulſet, illum eſſe hominem, aut quempiam eorum qui adſunt, ſciat, patrem autem eſſe neſciat. Quod idem & in fine, & in tota actione conſiderandum eſt. At uerò quod quiſq; ignorat, aut ſi minus ignorat, at certè non eſt in eius poteſtate, aut ui coactus facit, id omne inuitus facit. Multa enim eorum etiam, quæ naturæ neceſsitas afferat, ſcientes et gerimus & ſuſtinemus: quorum nihil nec uoluntarium eſt, nec non uoluntarium. quo in genere eſt mors et ſenectus. Quod idem in ijs factis contingit, quæ iniuſta ſunt, quæ que iuſta, idq; fortuitò. Etenim ſi reddat depoſitum quis inuitus, aut metu coactus: is non dicendus res iuſtas facere, nec quod æquũ eſt, niſi fortuitu & caſu. Itẽq; qui coactus, aut inuitus depoſitum non reddiderit, dicendus eſt fortuitò iniuriam facere, et agere quæ iniuſta ſunt. Eorum autem quæ uoluntaria ſunt, partim conſultò, partim inconſultè facimus. Conſultò, cum antegreſſa eſt deliberatio: inconſultè, quæ non eſt antegreſſa deliberatio. Cumq; in uitæ ſocietate tria genera cernantur incommodorum, & iniuriarum peccata imprudẽs quis admittit, cum admiſerit in eum de quo nil tale cogitaret, nec quo id inſtrumento ageret, neq;

neq; quid, quáq; de causa perficeret. Aut enim uoluit nõ pulsare, aut nõ quo pulsauit, aut nõ eum quem pulsauit, aut non ea de causa quæ existimatur, sed forte fortuna accidit secus ac putarat. cũ ergo incõsultò fit iniuria, infortuniũ et casus dicitur: cũ autẽ non incõsultò, sed nõ de industria fit iniuria, peccatũ nominatur. Tum enim peccat quisq;, cũ in eo inclusum causæ principiũ est. A' fortuna autẽ pficiscitur, cũ extrinsecus principiũ adhibetur. At cũ sciens, nec tamẽ consultò aut cogitatò, iniuria dicitur. quo in genere ea sũt omnia, quæ ira aut alia animi perturbatiõe fiũt, quæq; necessariò, et à natura tributa sunt mortalib. Nã qui his incitati, nocẽt alijs ac delinquũt, faciunt illi quidẽ iniuriã, sed tamen nõ idcirco sunt iniusti uel improbi habendi. Neq; enim nocendi causa de industria illata iniuria est. At uerò cũ consultò et cogitatò fit iniuria, tum quisq; iniustus & improbus habetur. Itaq; rectè ea quæ per iram fiunt, non ex uoluntate iudicantur: quippe cum non is auctor ac caput mali sit, qui ira incitatus facit, sed qui incitauit. Præterea non id agitur, utrum factum sit nec ne, sed utrum iure, quoniam ira quandam speciem fert iniuriæ. Neque enim ut in conuentis & pactis solet, sic hic de facto controuersia est: quorum necesse est alterũ esse in uitio,

niſi obliuione impediti id faciant. ſed conceſſo facto, omnis de iure controuerſia eſt. At qui fecit inſidias, is non facit imprudens. itaq; hic ſe putat iniuriam accipere, ille non putat. Qui ſi de induſtria noceat, facit iniuriam: & qui has iniurias infert, is quoniã contra dignitatem & æquitatem facit, iniuſtus eſt habendus. Itemq; iuſtus is, qui animi iudicio & conſideratè, rem iuſtam gerit. Iuſtè autem facit, ſi modò ſponte. Quæ autem iniuriæ à uoluntate non proficiſcuntur, earum alijs ignoſcendum eſt, alijs nõ eſt. Iis enim omnibus, quas homines non ſolum faciunt imprudentes, uerum etiam per imprudentiam, danda uenia eſt. Quas autem inferunt non per imprudentiam, ſed imprudentes, perturbationibusq; animi incitati, quæ nec naturales ſint, nec naturam attingant humanam, non eſt ijs ignoſcendum. 9 Sed hic quærat aliquis, ſatis ne accuratè de accipienda faciendaq; iniuria diſſeruerimus? Ac primum, utrum ſic eſt, ut Euripides abſurdè tradidit,

Quid ſit cur matrem trucidauerim meam?
Eſt breuis quidem, non longa defenſio:
Sponte uolentem, uel uolentem non uolens.

Vtrum enim poteſt quis uerè iniuriam uoluntate ſua accipere, nec ne poteſt? an non hoc uoluntarium ſit, quem-

quemadmodum facere iniuriam, uoluntatis? & utrum quicq; eorum sic an secus? quemadmodum omnis est iniuriæ uoluntaria illatio. An uerò hoc uolũtatis est, illud non est? Eadem est ratio partiendi iuris. Omnis enim iustè agẽdi ratio et institutio à uolũtate proficiscitur. Itaq; consentaneum est, utrũq; inter se opponi, iniuriam accipere, & officijs affici, ut sit utrunq; uoluntatis aut neutrũ. Atq; etiam si omnis tribuendi officij ratio uoluntaria sit, absurdũ esse uideatur. Sunt enim quibus inuitis officia & iura tribuantur. Nam hoc etiam cuipiam dubiũ uideatur, utrum qui iniustè aliquid tolerat etiã accipiat iniuriam? an uerò ut in re iniusta facienda, sic in perferenda est? Casu enim fieri potest, ut iuris utrũq; sit particeps. Quod idem cernere licet in rebus iniustis. Neq; enim idẽ est, quæ iniusta sunt facere, quod iniuriã facere: nec quæ iniusta sunt ferre, quod accipere iniuriã. Eademq; est ratio tribuẽdi accipiẽdiq; officij. ut enim iniuria accipi nõ potest, nisi sit qui inferat: sic nec officiũ præstari, nisi sit qui tribuat. Quod si iniuriã facere non est aliud omnino, nisi sponte nocere quempiã alteri, ac sponte quidem ita, ut sciat & cui noceat, & quamobrem, & quo quasi instrumento noceat: impotentes autem sponte ac uolũtate sua de se ipsi male merentur: effici

tur ut ſponte accipiatur iniuria, & ſibi quis ſponte iniuriam inferat. Eſt autẽ hoc unũ eorum quæ quærebamus, utrum fieri poſsit, ut quis ſibi ipſe faciat iniuriam. Iam uerò ſponte etiam aliquis incommodum ab alio, qui paratus eſt dare, accipiat. Ergo fieri poteſt, ut uoluntate ſua quis iniuriam accipiat. aliter nõ uera eſt definitio. addendumq; eo eſt, obeſſe quẽpiam ſcientem cui noceat, qua in re quoq; modo noceat, contra illius cui obſit uoluntatem. Incommodum igitur quis ſua uoluntate accipit, & rem iniuſtã perfert. At iniuriam nemo ſponte ſua accipit. Nemo enim uult, ne impotentes quidẽ: ſed quicquid faciunt, id omne contra ac uolunt faciũt. Neq; enim uult quiſquam, quod ſibi bono eſſe nõ arbitretur. Et impotens animi facit quod ſentit non eſſe faciendum. Nec uerò qui ſua dedit (quemadmodum Homerus ait Glaucum dediſſe Diomedi, Pro´que nouem centum, proferro tradidit aurum) iniuriã accipit, quandoquidem ut det, in ipſius ſitum eſt poteſtate. At non eſt in cuiuſquam ſitum poteſtate, ut iniuriam accipiat, ſed alter ſit oportet qui inferat. Illud ergo iam apparet de accipienda iniuria, eã non eſſe uoluntatis. Duo iam ſuperſunt ad dicendum, ex ijs quæ nobis propoſuimus, utrum iniuriam is facit qui ſibi plus ſumit contra dignita-

gnitatẽ, an is qui obtinet. Et, utrũ fieri potest, ut quispiam sibi ipse iniuriã inferat. Si enim fieri potest quod priore loco positum est, & si is qui diuidit, non qui occupat nimiũ, facit iniuriam: si quis alteri plus tribuat quàm sibi, sciens & prudens (id quod usu uenit modestis, siquidem uir bonus se gerere solet submissius) is profectò de se ipse malè meretur. At ne hoc quidem omnino est. Plus enim sibi sumat alterius boni, ut gloriæ, si ita res ferat, quàm eius, quod omnino bonum est. Quod etiam ea definitione explicatur, quæ de inferenda iniuria præposita est. Nihil enim ei accidit contra ipsius uoluntatem. Ergo non si minus sumat, idcirco accipiat iniuriam, sed solum afficitur incommodo. Hoc tamen apparet, eum qui diuidit ac dispertit res ciuitatis, inferre alijs iniuriam, non eum semper, qui plus q̃ cæteri adipiscatur. Neque enim in quo inest quod iniustum est, is iniuriã facit, sed is qui hoc efficit sua uolũtate. Quod quidẽ ab eo proficiscitur, unde capit exordiũ actio, aut ab eo qui diuidit, nõ ab eo qui accipit. Præterea si faciẽdi multi modi sint, fieri potest, ut et res inanimæ, & manus & seruus iussu domini interficiant, nec tum faciant iniuriam, cum interim res iniustas faciant. Et si quis imprudens et ignarus iudiciũ tulit, nõ faciat ex iure legitimo iniuriam:

nec sit illud iniquũ iudicium, quanquam sit tanquam iniquum. Aliud enim ius est legitimũ, aliud primum. Sin autem sciens & prudens iudicium suum interpo suit, iam est habendus iniustus, quod ad eũ plus perue nerit uel gratiæ, uel ultionis, ut si quis in partem uene rit sceleris et iniuriæ. At qui bis de causis iniquũ fert iudicium, plus adipiscitur. Nam cum fundum alicui adiudicarit, non agrum accepit, sed argentum. Homi nes autem in sua esse potestate putant, ut faciant iniu riam. Itaque facile aiunt uirum iustum effici, sed non ita est. Nam et cum uicini uxore concumbere, & uio lare alterum, & largiri manu argentum, facile est, & in eorum situm potestate. At uerò ita animo affectos hæc ipsa præstare omnia, neq; facile est, neq; ut ea ef ficiant, in eis situm est. Similiterq; & quæ iusta sunt cognosse & quæ iniusta, in nulla parte sapientiæ po nunt, propterea quod non sint difficilia cognitu ea quæ iubent leges aut uetant. Sed tamen non sunt hæc ipsa in iustis numeranda, nisi fortuito, uerum ita de mum iusta sunt, si quodam modo gerantur, certoq; ge nere diuidantur. Quod quidem præstare multo maio ris negocij est, quàm quæ salubria sunt tenere, & cõ prehendere. Nam illic etiam mel quid sit, quid uinũ, elleborum, adustio & incisio, facilè est intelligere. at ea

ea quemadmodum accommodatè ad ualetudinem adhibenda sint, et cui, et quando, tam difficilè est quàm medici nomen obtinere. Ob eamq; causam iusti uiri aiunt esse nihilo minus facere iniuriã, quòd nihilo minus aut facilius potius hæc omnia præstare possit. Etenim & contrectare mulierem posse, & uiolare alios iustum hominem, & fortem, clypeum abijcere, et dato tergo quò libuerit fuga elabi. At ignauum se præstare, & iniuriam facere, non est illa quidem efficere nisi fortuitò, sed si quis animo certo quodã modo affectus ea faciat. Vt mederi & curare non est incidere, aut non incidere, curationẽ adhibere aut non adhibere: sed certo quodã modo hæc ipsa præstare, inter eos autẽ iuris societas est, inter quos eorũ quæ omnino bona sunt, cõmunio est. In his uerò et exuperantia quædam uersatur & defectio. Nam in quibusdam, ut certè in Dijs, non est eorum bonorum immoderata copia. Alijs autem ut insanabilibus & deprauatis hominibus nulla ex parte sunt usui, sed obsunt omnia. alijs prosunt aliqua ex parte, quòd naturam attingant humanam. Sequitur ut de æquitate æquoq; & bono 10
differamus: quam tandem æquitas ad iustitiam rationem, quã æquum & bonum ad ius habere uideantur. Non enim si qui diligenter uelint exquirere, omnino

idem aut diuersum genus pertinere uidebũtur. Interdum æquum & bonum laudamus, atq; eum hominem qui eius studio tenetur. Itaq; ipsum in laude solemus, interim in alijs rebus pro bono usurpare: quodq; ex æquo et bono est, idem melius esse iudicamus, aliàs alienum uideatur ijs qui rationem consectantur, æquũ & bonum, quod iuri repugnet, esse laudabile. Aut enim ius bonum non est, aut æquum et bonum ius non est, si aliud est: aut si ambo sunt in bono, eadẽ sint necesse est. Atq; hæc quidem ex rationibus de æquo et bono exorta quæstio est. Quæ consentanea sunt omnia quodam modo, nec ulla ex parte inter se pugnant. Nam æquum & bonum cum alicui iuri accommodatur, tum ius ipsum melius est: nec iam quasi ad genus aliud pertineat, iure est præstantius. Idẽ est igitur ius quod æquũ & bonum. Etenim cum sint ambo in bonis, tamen præstat multò æquũ & bonum. Sed hoc dubitationẽ habet, quòd cum æquũ et bonum ius sit, non tamen ius ex lege est legitimum, sed iuris legitimi emendatio. In causa est, quòd lex est generalis omnis: quæ quoniam de toto genere nonnullarum rerum commodè loqui non potest, cum sit necesse de toto genere dicere, nec id effici rectè possit, id unum accipit & designat, quod plerunq; solet cõtingere. non igna-

ignara peccati, et tamẽ rectè lata est: quippe cum cul pa sit nõ legis quidẽ, nec legislatoris, sed rei naturæ, quæ statim est eiusmodi. Cum ergo de toto genere lex dicit, atq; aliquid ijs in rebus contra generalẽ legis comprehensionem existit: tum percommodè accidit, ut qua parte scriptor legis aliquid prætermisit ac peccauit, omnino ac semel locutus, id quod prætermissũ sit corrigatur. Quod etiã legislator, si adesset, admoneret, etiãsi iã legẽ tulisset. Itaq; est ius illud quidem, & quodã iure præstantius, non eo tamen quod perfectum est, sed eo qđ propter peccatũ generalẽ à perfecto aberrat. Atq; in hoc uis omnis æqui et boni posita est, ut correctionẽ quandã legi adhibeat, quia ab ea abest aliqd propter generalẽ sine exceptione cõ præhẽsionẽ. Cur enim lege nõ caueãtur omnia, causa est, qđ de qbusdã omnino lex ferri nõ potest. Quo circa decreto opus est. Incertæ enim rei ac infinitæ, incerta semper et infinita quærenda regula est. ut Lesbiæ structuræ plũbea norma solet accõmodari. Vt enim lapidis mutata forma et figura, simul mutatur, nec manet regula: sic reb. mutatis, nec manentib. decreta tolliũtur. Aciã illud qdem perspicuũ est, quid sit æquũ et bonũ quidq; ius, et quo si iure præstãtius. Ex quo etiã apparet, quis sit bonus uir. Nã qui hæc sequitur,

geritq; omnia quiq; nõ est in malã partẽ iudex durior, sed de suoiure decedit, etiã si habeat legis præsidiũ: is æquus & bonus est habendus. Et habitus in hoc genere æquitas nominatur, quæ eadem iustitia dicitur, nõ
11 alia animi affectio. Ex ijs autẽ, quæ dicta sunt, perspicuum est, utrũ quis sibi ipse iniuriã facere, nec ne potest. Ea enim iusta habenda sunt, quæ in omni uirtute lege sunt constituta. ut non iubet lex mortem sibi quenquam consciscere. At quæ non iubet, ea profectò uetat. Præterea ut quisque contra leges nocet cuipiam non lacessitus, ita sponte inferre iniuriam dicitur. Sed ita demum sponte ac uoluntate sua quisque facere intelligitur, si sciat, & cui iniuriam faciat, & quo modo. Qui autem se ipse interimit, is sponte contra leges facit, quod leges non sinunt. Infert igitur iniuriam. Sed cui tandem? An Reipublicæ, non sibi? quandoquidem sua uoluntate fert mortem, nec quisquam sponte iniuriam accipit. Itaq; & à Repub. pœna constituta est, & ignominia comparata in eum, qui se ipse interfecerit, tanquã uiolarit Rempub. Iam uerò in quo quisq; iniuriam tantummodo faciens, iustus habetur, non omnino improbus: in eo fieri nõ potest, ut de se quisq; malè mereatur. Hoc enim aliud est atque illud. Est enim quodam modo iniustus

uir

uir sic improbus, ut ignauus, non ut is qui omni scele re sit contaminatus. Quapropter hac iniustitia nemo sibi faciat iniuriam: quoniam simul eidem & adimere tur idem & adderetur: quod fieri non potest. sed inter plures iuris et iniuriæ necesse est semper esse communionem. Iam ut quisque alterum uiolat, ita & sponte uiolat & consultò, & prior. Nam qui ab altero uiolatur, par que refert, is iniuriam minime facere uidetur. Qui autem se ipse interimit, eandem iniuriam simul & facit & accipit. Præterea fieret alicui uoluntate sua iniuria. Ad hæc nemo quenquam uiolat, nisi certo genere peccati. Atqui nemo uxori suæ inferre stuprum dicitur, nemo parietem suum diruere, nemo sua furari. nam hoc ipsum sibi quenque nocere, omnino diluitur, ac refellitur, ea quæ de sponte facienda iniuria tradita est definitione. Illud autem etiam apparet utrunque, facere & accipere iniuriam, esse in malis: quoniam minus & plus obtinere mediocritatis est, ueluti in medicina ualetudinis, & in gymnastice bonæ constitutionis: sed tamen grauius est facere iniuriã. Violare enim alterum, cum scelere coniunctum est, & uitio dandum, ac cũ scelere uel summo, uel ei proximo. Non enim quic quid uoluntarium est, id omne cum iniustitia coniun-

ctum est. At uerò iniuriam accipere, nec in uitio est, nec coniunctum iniustitiæ. Est igitur per se leuius iniuriam accipere: casu & fortuitò nihil prohibet esse grauius. Sed hæc ars negligit omnia, quæ grauiorem morbum pleuritidem statuit, quàm pedis offensionẽ, quanquam possit hæc fortuitu maior existere. ut si quis ex casu ab hostibus captus interimatur. Atqui nulla est cuiquam secum iuris societas & communio, nisi similitudine & translatione utamur: sed est omnino inter eos, qui ad quemq; pertinent & spectant, nec uerò ius omne est, sed domini in seruos, uel patris in liberos. His enim rationibus quidem differt maxime pars animi, quæ rationis est particeps, ab ea quæ expers est. Quæ contemplantes nonnulli, sibi cuiq; iniuriæ putant esse societatẽ, quòd hæ partes aliquid perpetiantur contra suas quæque appetitiones. Quare inter eas, ut inter eam quæ imperet, et eam quæ obtemperet, iuris esse communionem. Ac de iustitia quidem cæteris que uirtutibus quæ ad mores pertinent, hactenus.

Liber

LIBER SEXTVS.

QVONIAM autem superioribus libris dixi modũ tenendum esse, non exuperantiam & defectionẽ à ratione, quoniamq; modus is optimus est, quem recta præscribit ratio: nunc de his sequitur ut disseramus. Est enim ijs omnibus animi affectionibus, de quibus dixi, finis quidam propositus, quem intuens omnis qui rationis est particeps, uel consequitur, uel ab eodem aberrat. estque modus ac finis quidam mediocritatum, quas inter nimium & parum sitas esse, ex præscriptione recte rationis dicimus. Quæ uera est illa quidem oratio, sed parum aperta & explicata. Etenim cæteris in rebus omnibus, quarum est disciplina, hoc uerè licet dicere, non plus minus ue laboris & quietis, quàm sat sit, suscipiendum esse: uerùm modum in ijs tenendum, quem recta ratio præscripserit. Quod qui teneat, nihilo sit doctior aut prudentior futurus. Vt si quæratur quæ nam ualetudini conducant, aliquis respondeat, ea omnia quæ medicina iubeat, atque is qui ea sit præditus. Quapropter non solum uerè constare debent quæ de animi affectionibus diximus,

diximus, sed explicatum etiam, quid nam recta sit ratio, quæq; sit eius definitio. Animi quidem uirtutes diuisimus, aliasq; moris diximus, alias esse rationis. Ac de ijs quæ more perficiuntur, disseruimus. De cæteris autem dicemus, si prius de animi uirtutibus dixerimus. Suprà dictũ est, duas esse partes animi. alterã rationis participem, expertẽ alteram. Nunc eodẽ modo, ea pars quæ compos est rationis, distribuenda est. At illud præponendũ est duas esse partes rationis participes: unam, qua res contẽplamur, quarũ principia secus euenire non possunt: alterã, qua eas quæ possũt. Ad ea enim quæ genere differũt intelligenda, etiam partiũ animi ea quæ genere differt, nata est. siquidem eis rerum inest cognitio similitudine quadam & conuenientia. Appelletur aũt altera uis sciendi, ratiocinãdi colligendiq; altera: quoniã deliberare et ratiocinari idem ualent. Et quoniam de ijs nemo consultat, quæ secus ac casura sunt, cadere nõ possunt: idcirco pars est una aliqua uis ratiocinandi eius partis animi, quæ rationis est particeps. Videndum est igitur, quis tandem sit utriusque habitus optimus, quoniam in eo utriusq; uirtus cernitur, & ad suum quæq; uirtus opus
2 officiumq; accommodatur. Sunt autem in animo tria, quæ in actione ac ueritate dominantur, sensus, mens,

mens, & appetitus, quorum sensus nullius est initium actionis. Quod ex eo intelligitur, quia belluæ sunt illæ quidem sensus participes, actionis autem nõ sunt. Quam autem uim habent in mente affirmatio et negatio, eandem etiam habent in appetitu adeptio et fuga. Quare quoniam uirtus quæ more perficitur, habitus est ad eligendum idoneus, propositum autẽ appetitio est quam antegressa est deliberatio: necesse est ob eam causam & ueram esse rationem, & rectũ appetitum, si quidem rectum sit propositum: eamq; ipsam rationem præcipere, & parere appetitionem. Est igitur hæc mens omnis in agendo. At uerò mẽtis eius quæ cognitione cernitur, non actione, aut effectione, omnis est in falsi ueriq; cognitione posita præstantia, et uitiositas. Omni enim rationi ac menti hoc opus propositum est. Cuius uerò mentis omne opus in agendo est, eius est appetitioni rectæ congruens propria ueritas. Est igitur actionis omnis principium propositum et consilium, ex quo motio nascitur, non finis & extremum. Eligendi autem principium ab appetitione petendum est, eaq; ratione quæ ad finem pertinet. Quocirca sine intelligentia, sine mente, sine appetitione quæ more perficitur, esse propositũ nullo modo potest. Sublata enim mente & more, honeste factis

ctis & contrarijs inter actiones humanas nihil loci relinquitur. Nihil autem ratio hæc commouet, sed ea quæ ad finem spectat, estq; in agendo, quippe cum ei etiã cuius omne opus est in faciẽdo, imperet. Ad hanc enim omnes qui effectionem sequuntur, quæ faciunt referũt omnia: nec finis in eo statuitur omnino, quod sub effectionẽ cadit, ipsumq; aliò semper refertur, est q; alterius propriũ. At qd̃ sub actionẽ cadit, nõ item. Est enim officij rectéq; factorum omnium fructus ac finis ipsum officiũ, & actio ad quam appetitio refertur. Quapropter aut intelligentia ad appetendũ commouens est propositum, aut appetitio à ratione profecta. cuius rei homo initium est. Eorum uerò quæ præterita sunt, omnino nihil sub delectum cadit. Veluti nemo uult Ilium expugnare, nec quisquam de præteritis deliberat, sed de futuris, ijsq; omnibus, quæ fieri possunt. Quod autem factum est ac præterijt, nõ potest non factum esse. Itaq; præclare hoc Agatho,

Hoc tantum modo negatum est Dei numini,
Præterita ut præstet nullo facta esse tempore.

Quocirca utriq; parti rationis cogitationisq; participi, quasi materia quam tractet, & in qua uersetur, subiecta est ueritas. Quibus igitur animi affectionibus utraq; pars uerum enunciat, eæ ambarũ sunt uir-

tutes

tutes habendæ. De quibus disseremus, si altè prin- 3
cipium repetierimus. Sint quinq; quibus animus uerũ
enunciat uel affirmando uel negando: id est, ars, scien
tia, prudentia, sapientia, et intelligentia. Fieri enim po
test, ut falsum suspicione et opinione dicatur. Ac sci-
entia quidem quid sit, hinc perspicuum est (si accura
tè disputare, nõ consectari similitudines placet) quòd
omnes existimamus, quæ scimus, secus euenire non
posse. Quæ autem aliter possunt, ea cum absunt à co
gnitione & contemplatione, sint, necne sint, incertũ
est. Quod ergo sub scientiam cadit, id omne æternũ
est. Quæ enim necessariò eueniunt, sunt sempiterna
omnia. Quæ autem æterna sunt, eadẽ oriri & interi
re non possunt. Præterea scientia omnis tradi uidetur
posse: et quicquid sub scientiã cadit, doceri. Atqui ex
anteceptis animo rei informationibus, quemadmodũ
in prioribus Analyticis docuimus, omnis doctrina gi-
gnitur. Alia enim inductione, alia ratiocinatione tra-
ditur. Ac inductione quidem, principia & uniuersa
discuntur. ratiocinatio uerò principijs, generalibus
& uniuersis conficitur ac progreditur. Sunt ergo
principia quibus constat ratiocinatio, quæ eadem
concludi ratiocinatione non possunt. ergo inducti-
one possunt. Est igitur scientia habitus, in quo uis

quædam

quædam ad demonstrandum est posita, et cætera omnia quæ in libris analyticis explicauimus. Cum enim assentitur quisq; quodam certo genere, habetq; penitus cognita principia: tũ scire ac tenere rem dicitur. Etenim si ea non habeat magis cognita, quàm conclusionem, fortuitã habebit scientiã. Ac de scientia quidẽ sic dictũ sit. 4 Quod autẽ aliter cadere potest, eius est aliquid, quod sub effectionem et actionẽ cadit: est q; aliud artis effectio, aliud actio. De quibus etiam in ἐξωτερικοῖς disputationib. satis multa præcepimus. Itaq; & habitus is qui in agendo cum ratione est, ab eo differt, cuius omne opus in faciendo cernitur, & neuter ab altero continetur. Neq; enim actio effectio est, neq; effectio ulla actio. Et quoniam architectura quædam pars est, & habitus cum ratione in faciendo positus, neq; ars ulla est, quæ non sit habitus cum ratione in faciendo, neq; habitus ex eo genere, qui nomen artis non obtineat: efficitur, ut ars & habitus cum ratione uera in faciendo positus, idem ualeant. Ars autem omnis in ortu uersatur, idq; unum agit & spectat, quemadmodum efficiatur quicq; eorum quæ & esse & non esse possunt, quorumq; principium situm est in eo qui facit, non in eo quod efficitur. Non enim tractat ars ea, quæ stant et eueniunt necessario, nec

nec in ijs quæ à natura ortum habent, uersatur. Continent enim principium hæc in se ipsis omnia. Quando autem effectio & actio inter se diuersæ sunt, necesse est arti effectionem subiectam esse, non actionem. quodamq; modo in ijsdem rebus ars & fortuna uersantur, ut placet Agathoni,

Fortuna chara est arti, ars quoq; fortunæ.

Est igitur ars, habitus, ut dictum est, ad faciendum aliquid uera cum ratione idoneus. Insscitia contrà, habitus cum ratione falsa faciendi quidpiam, quod aliter euenire potest. Prudentia uerò quid sit, ita intelli- 5
gemus, si quos nominemus prudentes, cognorimus. Prudentes quidem uidentur ex eo esse, quòd rectè cõsilium in ijs capere possint, quæ è re sua sunt, quæq; nõ aliqua ex parte, ut quæ ad ualetudinem aut uires, sed omnino ad bene uiuendi rationẽ pertinẽt. Quod ex eo intelligi potest, quia prudentes in re aliqua dici mus, cum ad honestum finem rectè ea dirigunt, quæ arte non possunt effici. Quocirca ualeat prudens omnis consilio necesse est. Et quoniã consilium nemo in ijs rebus capit, quæ aliter euenire nõ possunt, neq; ab ipso nequeunt effici & præstari, quoniamq; scientia omnis demonstratione concluditur, demonstratio autem ad ea nulla adhibetur, quorum principia secus

euenire possunt (ea enim omnia euenire aliter quẽũt: quæ autẽ necessariò eueniunt, nõ cadunt in deliberationem) efficitur, ut nec scientia, nec ars prudentia esse possit. Scientia quidem, quia quod subiectum est sub actionẽ, aliter euenire potest: ars, quia alius actionis, alius effectiõis artis, finis est ꝓpositus. Relinquitur ergo, ut sit habitus uera ratione ad ea agẽda idoneus, quæ uitæ hominum conducunt uel obsunt. Nam effectioni alius est quidam propositus finis: actioni non item, quoniam ipsius honestæ actionis & officij finis est ipsum officiũ. Ob eamq; causam Periclem cæterosq; tales homines, prudẽtes existimamus, quòd suæ aliorumq; utilitati consulere possunt. quo ex genere esse rei familiaris reiq; publicæ administrandæ usu peritos arbitramur. Hinc etiam temperantiã hoc appellamus nomine, quasi conseruatricẽ prudentiæ. Conseruat enim hanc illa opinionem. Neque enim omnem opinionem & existimationem uoluptas peruertit, aut dolor, ut hanc, triangulum duobus rectis pares habere aut nõ habere: sed eas duntaxat, quæ in eo quod sub actionem cadit, uersantur. Rerum enim agendarum principia ab eo petuntur, quò res agendæ referendæ sunt. Cuius autẽ à uoluptate aut dolore corruptus est & deprauatus animus, ei statim principium non

non apparet, neq; ei uidentur huius causa, et propter hoc expetenda gerendaq; omnia. Est enim in uitio magnitudo ad labefactandum principiũ. Quapropter necesse est, prudentiam animi affectionẽ esse cum ratione coniunctam, quæ uim habeat ad ea gerenda omnia, quæ ad uitam degendam pertinent. Artis autẽ uirtus est aliqua propria, prudentiæ nõ est. Et qui in arte uolũtate sua aberrarit, præstãtior est, in prudentia minus, quemadmodum etiã in uirtutib. cõtingit. Perspicuum est igitur uirtutẽ eam esse, nõ artem. Cumq; animi partes sint duæ rationis participes, in ea sita est prudentia, cui attributa opinio est. In ijs enim quæ secus cadere possunt, et opinio uersatur, & prudentia. Atq; hunc duntaxat habitũ non esse coniunctũ cum ratione, hinc intelligi potest, quòd hæc ipsa obliuione deletur, affectio prudentia non deletur. Quoniã autem scientia omnis quædam rerũ uniuersarũ comprehensio est, earumq; omniũ quæ stant necessariò, quoniãq; ex initijs et principijs oriuntur, quæ sub demonstrationẽ cadunt, omnisq; scientia (ratione enim sciẽtia pgreditur) profectò necesse est principiũ eius rei quæ sub scientiã subiecta est, neq; scientia neq; arte, neq; prudentia cõtineri. Nam et quod subiectũ scientiæ est, demonstratione concluditur: in illæ ex ijs re- 6

bus uersantur, quæ aliter euenire possunt. Ne sapientia quidem in his cernitur: quandoquidem nonnullarum rerum eget sapiens demonstratione. Quòd si quibus uerum enunciamus, nec unquam mentimur, ijs in rebus quæ uel possunt, uel non possunt aliter cadere, in ijs scientia, prudentia, sapientia & intelligentia uersantur: eorum autem trium in nullo intelligentia esse potest, (tria dico, scientiam, sapientiam, & prudentiam) relinquitur, ut in principijs initijs que
7 cernatur. Sapientiam uerò ijs reddimus, qui in quaque arte excellunt maximè, ut Phidiam sapientem lapidum sculptorem, & Polycletum statuarium sapientem nominamus. In quo sapientiam nihil aliud esse significamus, nisi artis uirtutem et præstantiam. Sed quosdam sapientes omnino ducimus, non aliqua ex parte, nec aliqua alia in re sapientes: ut Homerus in Margite. Quapropter perspicuũ est, reliquis scientijs perfectione & absolutione præstare sapientiam. Ergo sapientis est, non solum ea intelligere, quæ principijs concluduntur, sed rerũ etiam causas tenere. ut sit sapientia, intelligentia et scientia, quasi caput continens eorum omnium scientiam, quæ in maximo honore sunt & precio. Nam & illud perabsurdum sit, aliquem esse, qui ciuilem scientiam aut prudentiam optimam

ptimam existimet, nisi homo rebus omnibus quæ in mundo sunt bonitate præstare dicatur. Quòd si salubre summumq; hominis ac piscium bonum aliud est, album autem & rectum idem non est semper: certè omnes idem sapientem esse, prudentem aliud constituent. Qui enim rectè rebus rationibusq; suis consulit, omnes eum prudentem nominant, eiq; se ac sua omnia committunt. Itaq; in quibusdam belluis prudentiam inesse dicimus, ijs quæ ui quadam præditæ sunt ea congerẽdi, quæ ad uitam degendam pertinent. Ciuilem autem scientiam nõ esse idem quod sapientiam, hinc etiam perspici potest: quòd si eam sapientiam statuant, quæ suis cuiusq; emolumentis utilitatibus que seruiat, multæ sunt futuræ sapientiæ. Neq; enim una eademq; in commodis comparandis occupata est omnium animantium, sed alia in unoquoq; genere: nisi forte una medicina rebus omnibus adhibetur. Neque uerò si homo præstare cæteris animantibus dicatur, quicquam interest. Sunt enim homine alia multo diuiniora natura, quo ex genere sunt quæ excellunt eminentq; maximè, ex quibus constat mundus. Ex ijs ergo quæ dicta sunt, perspicuum est, sapientiam, scientiam esse ac intelligentiam eorum omnium quæ maximo sunt in honore & precio. Quocirca Anaxago-

ram, Thaletẽ, cæterosq; tales sapiẽtes nominant, prudentes non itẽ: cũ eos cernant quæ ipsis utilia sint, ignorare. Quos eosdẽ tenere ac scire aiunt res minus necessarias illas quiem et admirabiles, arduas et diuinas, sed inutiles, qd' ea nõ quærãt, quæ hominib. prosint. Atqui in ijs rebus prudentia cernitur, quæ hominũ uitæ sunt necessariæ, ijsq; omnibus quæ in deliberationem cadunt. De ijs autem nemo deliberat, quæ secus cadere non possunt, neque de ijs quæ ad finem non referantur, in quo situm sit quod agendum est bonum. Omnino autem is ad capiendum consilium aptus est, qui ratione potest quod homini summum bonum agendum sit exquirere. Nec uerò in uniuersis modò rebus prudentia uersatur, sed notæ etiã esse debent res singulæ, cum & in agendo posita sit, & in rebus singulis omnis actio consistat. Itaque ad rem gerendam nonnulli sunt inscij artificibus & doctis instructiores, & cæteris in rebus exercitati. Nam qui sciat, carnes leues & faciles ad concoquendum & salubres esse, is si quæ leues sint ignoret, nunquam ualetudinem efficiet: sed is potius, qui auium carnes leues esse intelligat. Est autem in agendo sita prudentia. utraque igitur tenenda cognitio est, aut hæc potius. Sed tamen sit etiam hic quædam quasi architè

chitectonice. Sunt autẽ et ciuilis sciẽtia & pruden 8
tia idem animi habitus, ijsdem autẽ non est uis eadem
neq; natura. Eius quidem quæ in publicis rebus uersa
tur, illa quæ quasi architectonice prudentia est, le-
gum ferendarũ ratio: alia quæ priuatim in rebus sin-
gulis uersatur, commune ciuilis scientiæ nomen obti
net, cuius omne opus est in agendo et consulendo. Nã
decretum habet sibi quasi finem propositum ad agen
dum. Itaq; hos aiunt solos administrare Remp. quòd
ut ij qui manibus artis opus efficiunt, sic ij soli rem
gerant. Maximè uero prudentia uidetur ea, qua uni sĩ
bi quisq; rebusq; suis consulit, quæ eadẽ iam habet cõ
mune nomen prudentiæ. Illarũ autem alia domestica,
alia ars legum ferendarũ, alia ciuilis nominatur. Atq;
huius alia pars ad deliberationes, alia ad iudicia perti-
net. Ac genus quidem cognitionis et prudentiæ in eo
quoddam est, ut quod è re cuiusq; sit intelligatur. Sed
magnæ sunt eius differentiæ ac dissimilitudines. ui-
deturq; is demum prudens, qui rebus rationibus que
suis prospicit, in ijsq; curandis occupatus est. At ue-
rò qui in Rep. uersantur, multis negotijs implicantur.
Itaq; Euripides ait,

Quî namq; prudens sim? licebat cui procul
A negotijs remoto numerarier

In milites, æquoq; iure uiuere?
Nam maiores opes habere eos qui in media reip. luce ac celebritate uersentur. Cõsulunt enim omnes suæ quisq; utilitati, idq; se unum agere putant oportere. Qua ex opinione natũ est illud de prudentibus. quan quã suum quisque tenere, sublata rei familiaris disci plina & Rep. nullo modo certè potest. Iam uerò suæ cuiq; res quemadmodum administranda sit, incertũ es se, idq; perspiciendum, hoc satis signi est, quòd et geo metræ et mathematici adolescentes fiunt, prudentes non fiunt. Hoc causæ est, quòd in rebus singulis pru dentia cernitur, quarum usu constat et exercitatione cognitio. usuq; rerum non ualet adolescens: facit e nim diuturnitas temporis exercitationem. Nam hoc quærat aliquis, quid sit causæ cur puer mathematicus effici potest, sapiens uel physicus nõ potest? An quòd illa abstractione constant, horũ uerò ab exercitatio ne & experientia principia oriantur? & quòd hæc non probant, sed dicunt adolescentes, illorum non sunt obscuræ definitiones? Præterea peccatur delibe rãdo, uel in rebus singulis, uel uniuersis. Aut enim o mnẽ aquã quæ grauis sit, insalubrẽ esse nesciunt: aut hanc uel illam, grauẽ. Prudentiã autem non esse scie tiam, hinc perspici potest, quòd hæc ut dixi, in extre

mo

mo et fine consistit. Quod enim sub actionẽ cadit, ex eo genere est. Opposita est igitur intelligentiæ. In extremis enim, quæ ratione & demonstratione colligũtur, intelligentia uersatur. Hæc in extremo, quod nõ scientiæ subiectum est, sed sensui: non ei quidem qui in rebus suis ac proprijs uersatur, sed ei quo triangulum sentimus in mathematicis esse in extremo, quoniam illic quoq; consistitur. Sed tamen in hac sensus potius cernitur, quàm prudẽtia: illius aliud genus est.

Discrepat autem à deliberando quærere. Delibe- 8
rare enim quærere est. Sed de recta deliberatione, intelligãdum est quid nam sit, utrum scientia aliqua, an opinio, an bona coniectura, an aliquid aliud. Ac scientiam quidem non esse, hinc perspici potest, quòd cum homines non inuestigant quæ sciant ipsi, tamen & consultatio prudens, quædam sit consultatio: & qui consultat, omnis quærat & ratiocinetur. Nec uerò recta coniectura esse potest, quoniam coniectura recte colligitur, et celeriter & sine ratione: ad deliberandum autem multum temporis sumunt, propterea quòd celeriter aiunt cõficienda esse quæ suscipimus, lente capiendum consilium. Iam aliud solertia est, aliud prudens consilium: quia solertia quædam cõiectura est, bonum cõsilium nullum est in opinione. Quo-

niam autem omnis aberrat, qui male consultat, et quo bene, rectè consultat: perspicuum est, bonum consilium quiddam esse rectum, non scientiæ quidem, neq; opinionis, quoniam in scientia non spectatur quid rectum sit, cum ne in peccato quidē: & opinionis quod rectū est, appellatur ueritas. Præterea iam suprà enumerata ea sunt omnia, in quibus esset opinio. At sine ratione constare bonum consilium non potest. Relinquitur ergo, ut sit mentis atque sententiæ. Hæc enim nondum est enunciatio. Et opinio, nō quæstio est: sed iam pronunciatum aliquod. Qui autem capit consilium, siue bene, siue male id faciat, is quærat aliquid ac ratiocinetur necesse est: & prudens deliberatio bonū consiliū quiddam in cōsilio rectum significat. Quocirca quærendum nobis est, quid consilium sit, et qua in re uersetur. Quoniam igitur rectum aliquid multifariam dicitur, perspicuum est, prudentem deliberationem in quaq; recta re non cōsistere. Nam impotētes & praui homines, cum id quod sibi ratione aduidendum proposuerant consecuti sunt, rectè illi quidē ac prudenter uidisse ac decreuisse putantur, sed magnum id malū existimarunt. Atqui in bonis bene consultasse numeratur. Talis enim consilij ueritas, bonū consilium est, quod bonum adipiscitur. At potest illud

lud ipsum quod bonum est, falsa ratione collectũ obtineri: & ad id quod faciundum est, non qua ratione æquum est, sed falsa uia media peruenire. Bonum igitur consilium esse nullo modo potest, quo ad id quidem peruenitur quod sit honestum, non autem qua ratione decuit. Præterea accidere potest, ut alius deliberandi longo tempore adhibito, id quod uelit consequatur, alius celeriter eódem perueniat. Quare nõdum illud quidem bonum est consilium, sed recta uia & ratio utilis ad perueniendum quò perueniri, et quo modo, & quando, ratio æquitasq; patiatur. Iam uerò licet & omnino prudenter deliberare, & ad finem certum consilia dirigere. Ergo id deniq; uerum consilium omnino habendum est, quod ad finem absolutum dirigitur: quòd ad finem quendam, etiam aliquod consilium est. Quòd si prudentis est, bona consilia inire, uerum consilium sit necesse est recta uia & ratio ad finem aliquem cõsequendum utilis, cuius sit uera existimatio in prudentia. Est autem sagacitas et hebetudo, ex quibus sagaces & hebetes nominantur. Nec omnino sagacitas idem est, quod scientia uel opinio uniuersa (omnes enim sagaces essent) nec est una aliqua scientiarũ singularum: ut nec pars medicinæ, quæ in rebus salubribus uersatur: nec geometriæ, quæ

quæ magnitudines tractat. Neq; enim in ijs rebus cernitur ſagacitas, quæ æternæ ſunt & immutabiles: nec in ijs quidem quæ quomodocunq; gignuntur, ſed in ijs omnibus quæ dubiæ et incertæ alicui dignæq; cõſilio eſſe uideantur. Quocirca in ijſdem rebus quibus prudentia uerſatur, nõ tamen idem eſt ſagacitas quod prudentia. præcipit enim prudentia, cum ſit propoſitum, quid agendum aut non agendum ſit, uidere. At ſagacitas ſolum ad iudicandum ualet. Eadem enim eſt ſagacitas, quæ bona ſagacitas: & ſagaces ijdem, qui præſtantes ſagacitate nominantur. Nec uerò ex eo ſagacitas nominatur, quòd prudentia obtineatur, aut percipiatur. ſed ut omnes qui diſcunt, tum ſcire aliquid & intelligere dicuntur, cum ſcientia utuntur: ſic cum adhibetur opinio & ſententia ad ea iudicanda omnia, quæ prudentiæ ſubiecta ſunt, tum ſagacitas dicitur. Sed tacentibus nobis ad rectè etiam iudicandum adhiberi ſagacitas intelligitur, quoniam bene & præclarè idem ualent. Hinc natum eſt nomen ſagacitatis, ex qua ſagaces nominantur, ex ea quæ in diſcendo conſiſtit. Sæpe enim diſcendi pro intelligendi uerbo utimur. 11 Quæ autem ſententia uocatur, ex qua & bene ſentire, & ſententia præditi alij dicuntur, eam iudicium eſſe æqui & boni uiri, hoc ſa-

tis ſi-

tis signi est, quòd bonum uirum ad ignoscendum propensum facilemq; dicimus, æquumq; et bonum, ex eo quòd nonnullis in causis ignoscat. Atqui uenia, recta est in iudicio æqui & boni sententia. Sed ea demum recta est, quam uerus tulerit. Omnes autem hæ animi affectiones rectè eódem spectant. Nam cum & sententiam, & sagacitatem, & prudentiam, et intelligentiam ijsdem attribuimus, tum eos sententiæ valere facultate, ac intelligentia præditos, prudentes, sagaces q; dicimus. Omnes enim hæ facultates animi extremorum rerumq; uniuersarum sunt ac singularum: idemq; homo, quòd aptus sit ad ea iudicãda in quibus cernitur prudens, sagax, bene sentiens, & ad ueniam dandam procliuis habendus est. Commune est enim bonorum omnium æquum et bonum in rebus alienis. Res autem agendæ, & officia in singulis rebus extremis, uniuersisq; uersantur, quæ debent esse prudenti cognita. In ijsq; quæ sub actionem cadunt, & sagacitas & sententia cernitur, quæ eadem extrema sunt. Et intelligentia utrorumque extremorum est. Etenim principiorum et extremorum non ratio est, sed intelligentia. ac illa quidem quæ in demonstrationibus uersatur, eorum est extremorum & principiorum quæ mutari non possunt: altera quæ in agendo est, in extremo

tremo eaq; re quæ euenire potest, & in enunciationis alio genere cernitur. Sunt enim hæc finis principia, quoniam à rerum singularum cognitione uniuersalis cognitio ducitur. Horum igitur sensus est hauriendus & adhibendus, quæ eadem mens nominatur. Ita hæc nobis uidentur insita natura. Cumq; sit sapiens nemo natura, tamen inesse natura hominibus et sententiam & sagacitatem & intelligentiam, hinc potest intelligi, quòd eas uirtutes sequi ætates putamus, ut in hac uel illa ætate intelligentia insit uel sententia, quasi à natura tributæ insitæque uideantur. Quapropter & principium est intelligentia & finis: cum præsertim ex ijs oriantur, de ijsq; conficiantur demonstrationes. Quare non secus debent omnes usu peritorum, maiorumq; natu, ac prudentum fidem adiungere sententijs, ijs etiam quæ probari non possunt, quàm ijs quæ sunt ratione conclusæ. Nam quoniam usu & exercitatione quasi aspectum quendam sunt adepti, facilè rerum causas & principia cernunt. Ac sapientia quidem quid sit, quidq; prudentia, quibusq; in rebus uersentur, & utranq; in alia atq; alia parte animi sitã esse, sit dictum satis. Sed de ijs quærat aliquis, quas tandem ad res sint utiles? Nam & sapientiam nulla in re uersari earum, quæ hominem possunt beatum efficere,

cere, cum præsertim nullam ad actionẽ usumq; referatur: & in prudentia quidem illud esse positum, sed quam tãdem ad rem ea sit opus? Siquidem res tractat prudentia, iustas illas quidem & honestas, quæq; uitæ hominum magnum afferant adiumentum: sed tamẽ eas boni uiri est gerere. Nunc nihilo ad agẽdum aptiores paratioresq; uenîmus, cum eas tenemus ac scimus: siquidem uirtutes in habitu quodam animi ponimus. Quemadmodum nec res salubres, nec quæ bene constituunt corpus, eæ quæ non referuntur ad actionem, sed ab animi habitu proficiscuntur. Neq; enim præditi & instructi medicina & gymnastice, ad agẽdum aliqua ex parte uenimus paratiores. Quod si nõ ob has solum causas prudens statuendus est, sed etiam ut fiamus prudẽtes: profectò usus illius ijs quidem qui iam boni sint, nullus est futurus. Atqui ne ijs quidem qui non sint præditi, quoniam nihil intererit, ipsi ne eam habeant, an ijs qui adepti erunt obtẽperent. hoc enim satis sit nobis, quod in medicina: quam quidem non discimus ipsi, etsi ualere cupiamus. Adhæc absurdum sit, cum sapientiæ concedat prudentia, eam tamen multo esse superiorem futuram. Nam cum eius omne opus sit in agendo, imperat præscribit que omnia. Quibus argumentis nobis occurrendum est:

adhuc

adhuc enim de ijs solum disputauimus. Ac primũ quidem hoc dicimus, eas sua ui & propter se expetẽdas esse necessariò, cum utraq; utriusq; partis animi uirtus sit, etiam actione ab utraq; detracta. Deinde efficiunt illæ quidem, non ut medicina ualetudinem, sed ut ualetudo ea quæ bene constituunt corpus, sic efficit beatitudinem sapientia. Quoniam enim uniuersæ pars est uirtutis, possessione usuq; efficit beatũ. Præterea prudentia, eaq; uirtus quæ more perficitur, omnem absoluit actionem. Propositum enim uirtus rectum efficit: ea quæ ad finem spectant, prudentia. Quartæ autem parti animi, cui inest alendi uis et augendi, nulla talis uirtus attributa est: cum præsertim agamus, uel non agamus, non sit in ea situm. De eo autem quod obiectum est, nos nulla ex parte prudentia ad præclarè iusteq; facta effici aptiores, paulò altius repetendum uidetur. Vt enim aliquos dicimus nondũ iustos esse, qui res iustas faciant, quales ij sunt qui quod leges iubent, uel inuiti faciunt, uel imprudentes, uel alia quacunq; de causa, non propter se, etiam si ea agant quidem omnia, quæ honesta sunt et digna bono uiro: sic omnes ut sint boni, quodam modo affecti animo gerere debẽt omnia, ut delectu adhibito eorumq; causa quæ gerantur. Delectum quidem et electionem

uirtus

uirtus rectum efficit: quod autem illius causa effici solet, hoc iam in uirtute non est, sed in alia ui positum. De quibus disserendum nobis est apertius. Est uis certè quædam, quam ingenium uocant: quæ eiusmodi est, ea ut efficere possit & adipisci, quæ ad propositum finem pertinent. Ac si finis quidem honestus sit, laudanda: sin malus, calliditas est nominanda. Itaque prudentes, eosdem cautos, callidos, uersutosque dicimus. Nec uerò uis hæc idem ualet quod prudentia, & si sine illa esse nullo modo possit. Habitus autem huic quasi oculo animi innascitur, ut diximus. idq; hinc perspici potest, quòd rerum quæ sub actionem cadunt principia ratiocinationes cõtinent: quippe cum talis finis sit, quale summũ bonum, quale sit cunq; (sit enim uerbi causa quod occurrerit) quod quale sit, nisi bono uiro apparet nemini. Peruertit enim iudicium uitiositas, principiorumq; inducit eorum errorem, unde actiones & officia proficiscuntur. Quare non potest quisquam, qui non idem bonus sit, prudens esse. Quocirca hic rursum uirtus 13
considerãda est, quandoquidem quam habet rationem prudentia ad ingenium cui similis est non idem ualet: eandem hæc ipsa habet ad eam uirtutem, quæ innata est nobis. Omnibus enim à natura quodammo

tributæ sunt uirtutes omnes, quæ morib. proficiscuntur. Omnes enim & natura iusti & temperantes & fortes gignimur, reliquarum´que uirtutum principia & semina, simul atque in lucem editi sumus, continemus in nobis. Sed tamen aliud quiddam, quod propriè bonum sit, esse uolumus: & quæ ex hoc genere sunt, aliter inesse. Nam & pueris & beluis à natura tributi sunt habitus, qui sine intelligentia & ratione, obesse hominibus uidentur. Quemadmodũ enim graui corpori contingit, ut si moueatur sine aspectu, grauiter offendat hoc ipso quòd caret aspectu: sic res hic se habet. Quod si sapientiæ lumen accesserit, iam magna est in actione distinctio: habitusq; similis tum deniq; uirtutis nomen propriè uereq; obtinebit. Quocirca quemadmodum uis duplex est eius in qua sedes est opinionis, ingenium & prudentia: sic est duplex uoluntatis, uirtus ingenita, & uera uirtus: quarum quæ propriè uirtus uocatur, esse sine prudentia nullo modo potest. Itaq; omnes uirtutes prudentiæ nomine appellãt. Et Socrates quidem partim rectè quærebat, partim aberrabat. Nam quod uirtutes omnes prudentias putauit esse, errauit: quod autem eas non sine prudentia cẽsuit, præclarè dixit. Quod ex eo intelligi potest, quia nunc omnes qui uirtutem definiũt, cum

cum habitum eam dixerunt, & in quibus cernatur, tum habitum esse adiungũt, qui rectæ rationi sit consentaneus. Atqui ea demum recta ratio est, quæ prudentiæ congruat. Ergo hoc omnes quodam modo diuinare & augurari uidentur, habitum eum uirtutem esse, qui prudentia dirigatur. Sed tamen parua facienda mutatio est. Neq; enim in eo habitu uirtus est, qui prudentiæ sit consentaneus, sed in eo potius qui sit cum recta ratione coniunctus. Recta autem de his rebus ratio, iam nomen habet prudentiæ. Socrates ergo uirtutes omnes rationes putauit, cum in sciẽtia omnes ponoret: nos eas cum ratione copulamus. Ergo iam illud quidem perspicuum est ex ijs quæ dicta sunt, nec sine prudentia quenquam ueræ probitatis, nec sine uirtute prudentiæ nomen obtinere posse. Sed hoc loco dissoluenda est ea ratio, qua quis disputare possit, seiungi separariq; uirtutes. Neque enim idem est ad omnes accipiendas aptissimus, uerùm hanc iam, illam nondum ille percepit. Nam in ijs quidem quæ à natura dantur uirtutibus, id cõtingere potest: in ijs autem, ex quibus uerè & omnino uir bonus nominatur, non potest. Etenim si prudentia una sit, iam continuo unà cum ea omnes aderunt. Nam illud quidem perspicuum est, etiam si ad agendum non

moueat & impellat, ei tamen locum relinqui oportere, hoc ipso, quòd partis animi uirtus ponatur, & quod sine prudentia & uirtute propositum rectum esse non possit. Nam & hæc ut finem, & illa, ut ea omnia quæ ad finem spectãt, agamus, impellit. Nec uerò domina est sapientiæ; quemadmodum nec medicina ualetudinis. Nõ enim ea utitur quidem, sed ut quicque fiat, prouidet. Ita illius causa præscribit omnia, non illi. Iam similes sunt, ut si quis ciuilem scientiam imperare dicat dijs, quòd de ijs præcipiat omnia, quæ sunt Reipublicæ.

LIBER SEPTIMVS.

HIS expositis, aliud faciamus initium dicendi: eorum quæ in moribus fugienda sunt, tria esse genera, uitiositatem, impotentiam, & feritatem: quorum perspicuũ est quæ sint duorum contraria. Alterum enim uirtutem, continentiam alterũ uocamus. Immanitati autẽ ac feritati licet eam uirtutem poni contrariã maxime, quæ supra nos est, quæ eadem heroica, ac diuina dicenda est. ut Homerus Priamum de Hectore loquentem facit, Eum uirtute præstanti esse, neque uideri mortali natum, sed Deo.

Deo. Ita ſi, ut aiunt, ex hominibus propter excellentem præſtantem' que uirtutem efficiuntur Dij, profectò ea erit potiſsimum animi affectio, quæ feritati repugnat. Nam ut beſtiarum nullum uitium eſt, nulla' que uirtus, ſic nec Dei: ſed hic uirtute præſtabilior eſt, illarum aliud eſt genus uitij proprium. Et quoniam raro contingit, ut aliquis homo ſit Diuus, quemadmodum Lacones ſolent appellare Diuum, eum cui excellentes uirtutes tribuunt: ſic in ſpecie humana raro aliquis ex pecudum genere cernitur. tum uel maximè inter barbaros exiſtit. in nonnullisq; ex ui morbi oriuntur. eos etiam homines qui alios uitijs flagitijs' que ſuperant, hac infamia notamus. Sed quoniam de hac animi affectione mox diſſeremus, & de uitioſitate ſuprà diximus: hic locus poſtulat ut de impotentia, de mollitie, de luxu, de continentia conſtantiá que dicamus. Neque enim de ijs ut de affectionibus quæ idem ſint quod uirtus, neque ut de genere ab eadem differentibus exiſtimare debemus. Sed neceſſe eſt, id quod in alijs libris facimus, primum propoſitis ijs quæ clara ſunt & certa, in utranque partem diſputare: itaq; demonſtrare ea præſertim omnia, quæ de his animi affectionibus probabilia feruntur: ſin minus, plu-

rima, & quæ plurimum habent ponderis. Nam si ea omnia refellantur, quæ difficila sunt, relinquantur q; probabilia: sit explicatum satis. Ac illud quidem primum perspicuum est, continentiam & constantiam in bonis esse & laudabilius, impotentiam & mollitiem in uitio: eundemq; continentem & eum qui permaneat in suscepto consilio, & eundem impotentem & eum qui desistat à sententia. Et impotens quæ mala sunt, mala ille quidem esse nouit, sed agit ea uictus, & debilitatus obiecta specie uoluptatis. At uerò continens, quoniam malas esse cupiditates intelligit, eas ratione ductus non sequitur. Et temperantem quidem continentem atque constantem appellant. talem autem hominem partim temperantem, partim non: intemperantemq; impotentem, & impotentem confuse ponunt pro intemperanti. Alij eos aiunt esse inter se dissimiles. prudentes uerò interdum negant intemperantes posse effici: interdum eos qui prudentes sint & acuti, intemperantes putant. Impotentes etiam dicuntur & animi, & honoris, & lucri. Atque hæc
2 quidem sunt quæ feruntur. Hoc autem quærat aliquis, quid causæ sit cur rectè quis sentiens, iudicium suum retinere non possit? Scientem quidem eum posse esse, negant nonnulli. Absurdum nanque sit,

sit, Socratis sententia, tum cum in quopiam est scientia, aliud quiddam uincere ac trahere eum quasi mancipium. Socrates enim, quasi uerò nulla esset impotentia, cum ratione bellum gerebat: quòd neminem putauit, qui rectè sentiret, contra id quod optimum iudicasset, quicquam esse gesturum: sed imprudentem omnem facere, qui ita faceret & uiueret, iudicauit. Atque ijs quidem quæ perspicua sunt, hæc omnis repugnat oratio. quærendumq; nobis est, si hæc animi perturbatio ab imprudentia nascatur, quis eius sit modus. Nam hoc quidem perspicuum est, hominem impotentẽ non putare quæ agat, esse facienda, priusquam sit in perturbatione. suntq; nonnulli qui hæc concedant, superiora non item. Nã et nihil esse scientia firmus fatentur, & neminem facere contra sententiam meliorem, non fatentur. Ob eamq; causam impotentẽm hominem aiunt, non scientia quidem, sed opinione præditũ, uinci à uoluptatibus. Atqui si opinio quidem, & scientia insit, non firmum & stabile iudicium, quod obsistat, sed quietum & tranquillum, ut ijs contingit, qui distrahuntur uarijs sententijs: profecto ueniæ aliquid loci relinquatur, quòd nõ stet in ijs decretis contra firmas cupiditates. At malitiæ ac uitio non est ignoscendum, neque ulli eorum

quæ ipsa uituperanda sunt. An uerè prudentia est quæ obsistat, cum sit potentissima? At absurdum sit. Sic enim unus et idem simul prudens & impotens est futurus: nec quisquam fateatur, prudentis esse. quæ sint flagitiosissima, ea gerere sua uoluntate. Præterea suprà docuimus, qui sit prudens, eum, quoniam in extremis cerneretur, & ad officia paratum, & cæteris uirtutibus omnibus instructum ac ornatũ esse oportere. Iam uerò, si in eo continens sit positus, quòd cupiditatibus constrictus sit et firmis et malis: profectò temperatus nemo futurus est continens, neq; continens ullus moderatus. Neq; enim cupiditates malæ solent existere in temperante, quod quidem necesse esset. Etenim si honestæ sunt cupiditates, uitiosam esse necesse est eam animi affectionẽ, quæ impedimẽto est, quo minus ea sequamur. Ita nõ omnis est in bonis continentia. Quòd si infirmæ sint et imbecillæ, nihil gloriatione: neque si improbæ et imbecillæ, nihil magna laude sit dignũ. Tum si nos ut omni opinioni stemus, impellit cõtinentia, mala sit æquè ut si falsæ. Et si de omni sentẽtia et opinione impotẽtia deducat, aliqua in bono futura est impotentia. qualis illa est Neoptolemi Sophoclei, in Philoctete. Est enim iure laudãdus, q̃ ijs minime steterit, ad quæ Vlixes ipsum impulsſ-

puliſſet, tũ cum ui doloris coactus mentiretur. Præterea ſophiſtarũ ratio fallax ancipitẽ curã affert cogitandi. Nã quia ineſt in eis cupiditas refellendi quæ ad mirabilia ſunt, quo ſint cũ occurrunt argutiores: quæ cõficitur dubitationẽ affert ratiocinatio. Vinctus eſt enim animus quodam modo, cum nõ uult ille quidem conſiſtere, quòd minus probet quod ſit concluſum: ſed tamen progredi longius non poteſt hoc ipſo, quòd rationem nequeat diſſoluere. Fit autem neſcio quo pacto, ut imprudentia impotentiæ coniuncta ſit uirtus. Contrà enim facit ac ſentit propter impotentiã. Sentit autem quæ bona ſunt, mala eſſe, neq; facienda. Ita quæ bona ſunt faciet, non quæ mala. Iam qui agit & perſequitur, quæ uoluptatem efficiunt, idq; ex induſtria, hoc ipſo quòd ſibi animum induxit, is melior uideatur eo, qui non ratione, ſed impotentia animi ducatur ad agendum. quo facilius ei curatio adhiberi poteſt, propter diſſuaſionem faciliorem. At uerò impotens eo prouerbio conſtrictus tenetur, quod omnium ſermone tritum eſt: Cum aqua guttur præfocat, quid iam attinet bibere? Etenim ſi minimè animũ induxiſſet ea facere quæ faciat, profectò ſimul ac ei diſſuaſio adhibita eſſet, à ſententia deſtitiſſet. Nunc adhibita eſt, & tamen nihilo minus aliud agit. Præterea ſi

in rebus omnibus uersatur impotentia, quis perfectè et absolutè habendus sit impotẽs? cum præsertim nemo homo omni genere impotentiæ sit instructus. At qui nonnullos absolutè impotentes uocamus. Ac quæ hoc loco incidunt quæstiones, sunt eiusmodi: quarum aliæ diluendæ sunt, aliæ relinquendæ. Quæstionis
3 enim explicatio est, finis inuentio. Ac primùm illud quidem uidendum est, utrum scientiã habeant impotentes, nec ne, & quemadmodum habeant. Deinde quibus in rebus homo impotens & continens ponendus sit: utrum in omni uoluptate & dolore, an in certis quibusdam uoluptatibus. Et continentes et cõstantes, utrum ijdem sint, an ne diuersi. Quod idem exquirendum est de ijs omnibus, quæ sunt huic coniuncta disputationi. Exordium autem hinc capiat disputatio, utrum continens homo & impotens ex ijs statuantur diuersi, in quibus uersentur, an ex eo, quẽadmodum in ijs ipsis spectentur. hoc dico, utrum ne omnis impotens homo, ex eo solum, quòd in his uel illis cernatur rebus, nec ne intelligatur, an ex utroque potius. Deinde quærendum est, utrum in omnibus uoluptatib. impotentia et continentia, necne uersentur. Neq; enim cernitur in omnibus, is qui undiq; perfectè & absolutè est impotens, sed in quibus intemperantes.

tes.nec ex eo, quòd absolutè in ijs affectus est (idē enim esset qđ impotētia) sed quòd certo quodā genere & modo sit affectus, iudicādus est. Nam et hic quidē distrahitur in diuersas partes, consultò, quòd semper præsentē uoluptatē putet sequi oportere: et ille nō putat, cum interim persequatur. Nam quod aiunt quidā, ueram esse illā opinionem, non scientiā, in qua iudicia sua non possunt tenere: id quidem ad rationē nihil interest. Sunt enim quidā eorum qui sunt in opinione, qui non pendent animi, sed certò se rem scire existimant. Ita si ij qui sunt in opinione, potius quàm ij qui rem sciunt & tenent, contrà ac sentiunt faciant propter leuem assensionem, nihil inter scientiam intererit, & opinionem. Non enim sunt apud quosdam minus firmæ de ijs quæ credunt opiniones, quàm apud alios de ijs quæ ipsi sciunt. quod Heraclitus indicat. Sed quoniam dupliciter aliquid scire dicimus, (nam & is in quo scientia est, nec ea utitur, & is qui utitur, scire dicuntur) permultum interest, is ne qui præditus est scientia, neq; eam intuetur, ea quæ non sunt faciunda faciat, an is qui præditus est, eam' que intuetur. Hoc enim absurdum uideatur, illud non itē, nisi agat eam intuens. Iam cum enuntiationū sint duo genera, nihil prohibet, eum qui utrunq; genus teneat,

contrà

contrà ac sciat facere, si ea quæ uniuersa est & generalis, utatur, non quæ est de rebus singulis. Cadunt enim sub actionem res singulæ. Atq; etiam eius quod uniuersum ac generale est, sunt quædam differentiæ. Nam aliud in se ipso uertitur, aliud in rebus. ueluti, Omni homini sicca prodesse, &, hunc esse hominẽ. uel, siccũ esse hoc tale uel illud. Verùm si tale hoc sit, aut nõ suppetit, aut certè eo utitur. Tanta igitur ex ijs generibus existet dissimilitudo & differentia, ut sic scire nihil absurdũ sit, secus mirabile uideatur. Præterea sitũ est in homine, ut alia etiã ratione, atq; ijs quas modò commemoraui, scientiam habeat. Nam ex eo quòd tenetur animo comprehensa, usus autem eius et exercitatio non adhibetur, dissimilem habitum cernimus, ut & teneatur res quodam modo, & non teneatur. qualis est dormientium, furiosorum, et uinolentorũ. Atqui ita sunt affecti, omnes qui in aliqua sunt animi perturbatione. Nam & ab ira & libidine luxuriosorum, et quibusdam eius generis, non solum animi perturbantur, sed etiam corpora: nonnulli etiam ad insaniam adiguntur. Perspicuũ est igitur, ita ut hi sunt, affectos esse impotentes. Nec uerò sententiarum cõmemoratio earum etiam quæ dignæ sunt scientia, cõfirmat quenquam conuenienter scientiæ ac sententiæ

tiæ ſuæ uiuere. Nam & qui aliqua animi perturbatione commoti ſunt, ſententias & carmina proferunt Empedoclis: & qui primum diſcunt, uerba illi quidē coniungunt, ſed quæ non intelligant. Debent enim hæc animo inſidere omnia: quod ut fiat, tempore opus eſt. Quocirca qualis hiſtrionum, talis iudicanda eſt impotentium oratio. Atq; etiam hoc modo cauſam ex natura intueri licet, quòd cum aſſenſionum aliæ in uniuerſis rebus, aliæ in ſingulis quarum ſenſus dominus eſt, cernantur: ſi earum una adfuerit, neceſſe eſt quod concluſum ſit, animum intus præſcribere: & uires eas quarum omne opus in agendo eſt, quod præſcriptum ſit, ſtatim exequi. Vt, ſi quod dulce eſt, omne guſtandum: hoc autem dulce eſt, quod ſit in rebus ſingulis, neceſſe eſt eum ſimul agere, qui poſſit, neq; prohibeatur. Cū ergo ineſt de uniuerſis opinio, quæ uetat ne guſtes: alia autem, dulcia eſſe ſuauia omnia: & alia, hoc dulce eſſe: profectò hæc exequitur, quæ fortaſſis erat cupiditas. Cum ergo hæc illud fugiendum monet, cupiditas contrà ad ſe rapit (poteſt enim omnes animi partes commouere) fit, ut à ratione quodam modo & opinione diſtrahatur animus: non quòd ſit per ſe contraria opinio, ſed quòd ſolum fortuitò. Non enim rationi opinio, ſed contraria eſt cupiditas.

Quo-

Quocirca nõ sunt beluæ impotẽtes, propterea quòd rerum uniuersarum non habeant sensum, sed rerũ singularũ modò uisis & recordatione moueantur. Quẽ admodum autem deleta ignoratione, ad scientiam reuocetur impotens, eadem ratio est & ebriosorum & dormientiũ communis, non huius perturbationis propria: quæ ab ijs petenda est, qui naturas rerum inuestigant. Quoniam autẽ extrema enũciatio est eius quod sub sensum cadit opinatio, actionumq; ac officiorum est propria: eam aut non tenet is qui perturbatione cõmotus est: aut sic certè eam tenet, ut sic tenere nõ sit scire, sed more uinolentorum Empedoclis carmina recitare. Et quoniam non sunt uniuersæ extremæ enũciationes, neq; ad scientiã æquè ualent ac uniuersæ: etiam quod Socrates quærebat, contingere uidetur. Neq; enim tum cum adest quæ uere ac propriè scientia dicitur, sed ea quæ hauritur sensibus, animi perturbatio nascitur, aut ea distrahitur à perturbatione. Ac hominem quidem scientia præditum, & non præditum, intemperate uiuere, quoq; modo quis in scientia
4 posit esse impotens, sit dictum satis. Deinceps dicendum est, utrũ sit aliquis absolutè impotens, an aliqua ex parte omnes habeantur: tum si est aliquis, quibus in rebus cernatur. Illud igitur perspicuũ est, contines

tinentes constantes, impotentes molles q; homines in uoluptatibus doloribus q; uersari. Eorũ autem quæ uoluptatem efficiunt ac delectant, alia sunt necessaria, alia propter se sunt illa quidem expetenda, sed tamen exuperantiã habent. Necessaria quidem sunt, quæ ad corpus pertinent: quo ex genere sunt ea omnia, quæ ad cibũ usumq; uenereorũ referũtur. itemq; ea, in quibus temperantiã & intemperantiam locauimus. Alia non sunt illa quidem necessaria, sed ex se & propter se expetenda, ut uictoria, ut honos, ut opes, & quæ bona sunt eiusdem generis. Ac eos quidem homines, in quibus contra rectam rationẽ quam tenent, horum modus nullus est, non absolutè impotentes uocamus, sed cum adiunctione, pecuniarũ, quæstus, gloriæ: & animi impotentes, non sine adiunctione, ut dixi, quòd sint dissimiles, et ex similitudine nominentur. Qualis fuit is qui uicit ludis Olympicis, in quo paulũ admodũ à propria cõmunis differebat appellatio. Sed tamẽ diuersam fuisse, hinc perspici potest, quòd impotentia uituperatur, non solum quia peccatũ sit, sed etiã quia aut perfecta & absoluta uitiositas sit, aut aliqua ex parte, quod illorum contingit nemini. Eorum autem qui in corporis uoluptatibus uersantur, ijs in quibus temperantiam & intemperantiam esse diximus:

qui

qui non consultò & cogitatò, sed inconsultè immoderatas uoluptates sequitur, doloresq; nimios fugit, ut famis, ut sitis, ut caloris & frigoris, eorumq; omnium quæ in tactu gustatuq; consistunt: is non cum adiunctione, ut iræ, sed absolutè impotẽs nominatur. Quod ex eo intelligi potest, quia in his impotentes esse dicuntur, in illis non dicuntur. Ob eamq; causam in eodem impotentem & intemperantem ponimus, continentemq; et temperatum: illorum uerò neminẽ, quòd in ijsdem quodã modo uoluptatibus doloribusq; cernantur. Sunt in his illi quidem, sed non eodem modo: sed illi consultò, hi inconsultò. Itaq; potius intemperantem appellari licet, eum qui nulla aut certè leui cupiditate incitatus, magnas & immodicas uoluptates sequatur, uel mediocres dolores fugiat, quàm eum qui idem faciat magnis firmisq; cupiditatibus impulsus. Quid enim ille faciat, si iuuenilis libido exarserit, & in rerum necessariarum indigentia firma ægritudo? Sed quoniam cupiditates ac uoluptates aliæ sunt in honestis & bonis (ex ijs enim quæ mouent & delectant, quædam sua ui & natura expetenda sunt, alia his contraria: nõnulla media, ut pecunia, quæstus, uictoria, gloria) in his omnibus cæterisq; eiusdem generis, & medijs, non quia eorum studio, cupiditate & amo-

& amore teneantur homines, uituperantur, sed quia modum in eis finem' que transeant. Itaque omnes, qui præter modum aut uincuntur eorum aliquo quæ suapte natura honesta sunt & bona, aut eadem sequuntur, non laudantur. ut qui plus quàm ratio patiatur uel gloriæ studeant, uel liberis, uel parentibus. Nam & hæc in bonis sunt, & qui ijs inseruiunt, in laude uersantur. Sed tamen in his quoque est quædam exuperantia, si quis, ut Niobe, bellet cum Dijs. aut quemadmodum Satyrus ille qui amans patris uocatus est, insano amore afficiatur in patrem. Nimium enim insanire ille uidebatur. Vitium igitur in his nullum uersatur, propterea quòd, ut dixi, unumquodque eorum in ijs est, quæ per se expetuntur: sed eorum nimiæ ac immodicæ prauæ sunt ac fugiendæ cupiditates. Itemq; ne impotentia quidem. Est enim non modo in malis, sed etiam in uitio impotentia. Ex similitudine autem perturbationis cum adiunctione unicuique impotentiam attribuunt, cum medicum malum appellant, malum' que histrionem, quem omnino & absolute malum nunquam dicerent. Vt igitur hic malus dicitur non quòd sit uitium unumquodque eorum, sed quia quadam proportione est simile: sic illic etiam existimanda est continentia & impotentia, ea

quæ in ijſdem quibus temperantia & intemperantia, uerſatur. Eadem etiam ratione de ira dicimus. Quocirca cum adiunctione iræ uel gloriæ & quæ-
5 ſtus, impotentia, aliquid fieri dicimus. Sed cum aliqua iucunda ſint natura, quorum alia omnino & abſolutè, alia animantium hominuḿque generi uoluptatem afferunt: quædam non natura & per ſe, uerum alia ex morbo, quædam conſuetudine, nonnulla uitioſa deprauataq; natura naſcuntur: licet etiam in his ſimiles proportione affectiones cernere. ut beluarũ, quals fuit eius mulieris, quam inciſis grauidis mulieribus fœtus deuorare aiunt ſolitam: aut quibus ferunt delectari efferatos circa Pontum quoſdam homines, quorum alios cruda, alios humana carne ueſci confirmant, alios commodare ultro citróque liberos in conuiuijs. aut quod ferunt de Phalaride. Atque hæ quidem beluarum ſunt ſimiles affectiones. Aliæ ex morbis furiaq; naſcũtur, ut in illo qui matrem mactauit & comedit: & in eo, qui conſerui iecur. Aliæ partim ex morbo, partim conſuetudine gignuntur, ut pilorum euulſiones & eſus unguium, carbonum etiam & terræ. Præterea libidinoſorum cum maribus concubitus. Alijs enim natura, alijs conſuetudine eueniunt, ut ijs qui ab initio pueritiæ adhibent conſuetudi-

nem

nem. Ac eorum quidem quibus causam natura suppeditat, neminem impotentem solemus dicere. ut ne mulieres quidem, quòd non incubent, sed succubent. Item´que ij qui in morbum incidere solent. Vt igitur immanitas & quæ beluarum similis est, sic singulæ hæ animi affectiones, finem uitij modum´que transeunt. His autem si quis teneatur constrictus, & uincat eas, aut ab ijs uincatur, non sit perfecta absolutá que impotentia, sed quædam par ac similis. quemadmodum ne is quidem habeatur impotens, qui ira incitatus sit, sed in perturbatione modo esse dicatur. Omnis enim per insignis uitiositas, amentia, timiditas, intemperantia, & duritia, uel ex feritate, uel ex morbo nascitur. Qui enim natus est eiusmodi, ut metuat omnia, etiamsi minus strepitum edat, beluarum simili quadam ignauia timidus est habendus. & qui muscipulam ui morbi timeat. amentesq; ij, qui à natura expertes rationis, solum sensuum munus exequuntur, immanes quidem beluarum´que similes habendi sunt. ut quædam genera barbarorum procul habitantiũ. At qui ex morbo ut comitiali uel furia, morbosi. potest autem quis solum affectus esse, neq; uincetur. ut si Phalaris filij uorãdi cupidus, uel incredibili captus libidine, se coërceat & sustineat. Fieri etiam

poteſt, ut quis uincatur à perturbatione, non ſolum ſit in ea. Quemadmodum igitur uitium aliud eſt quod naturam attingit humanam, quod idem abſolutè uitium dicitur: aliud cum adiunctione, quod beluarũ ſit proprium, uel ex morbo naſcatur, non abſolutè: ſic perſpicuum eſt, impotentiam eſſe aliam quæ bellua-rum propria eſt, aliam eam quæ ex morbo naſcitur. Abſolutè autem ea ſola, quæ intemperantiam humanam comitatur. Illud ergo iam quidem perſpicuum eſt, continentiam & impotentiam in ijs duntaxat uerſari, in quibus temperantia ſit, & intemperantia: aliud'que earum eſſe genus, quod ductum ex ſi-
6 militudine in alijs rebus cernatur. Nunc oſtendamus, animi quàm cupiditatum minus turpem eſſe impotentiam. Ira enim parêre illa quidem uidetur quodam modo rationi, ſed more miniſtrorum & ſeruorum eorum qui præpropere munia obeant, qui antè quàm omnia quæ præſcribuntur, audierint beant, deinde officio defunt. & ritu canum. qui prius quàm conſiderarint, ſit ne is amicus qui pulſauit, allatrant. Sic ira feruore ac repentino motu incitata audit illa quidem rationem, ſed præſcriptione non intellecta, ad ſupplicium ſe ultionem'que conuertit. Cum enim ratio, uel uiſio potius, contumeliam uel contemptum ſubeſ-

subesse docuit, hæc tanquam sit collectum ratiocinatione, huic, uel illi bellum esse inferendum, repentè excandescit. At uerò cupiditas, si ratio uel sensus modò moneat, hoc uel illud esse suaue, inflammata rapitur ad perfruendas uoluptates. Ita quodam modo sequitur rationem ira, cupiditas non item. Est igitur turpior cupiditas. Quin etiam impotens animi quodam modo à ratione uincitur: ille autem non à ratione, sed à cupiditate. Iam ei potius ignoscendum est qui cupiditates sequitur naturales, quoniam ex eo genere etiam communes sunt, quia communes. At iracundia & acerbitas à natura nobis potius tributa est, quàm cupiditates eæ quæ semper immensæ sunt et immoderatæ, & minus necessariæ. Vt ille qui cum uerberaret patrem, & hanc rationem causam' que attulisset, hunc suum, & illum superiorem uerberasse: producto filio, Hic etiam, inquit, ubi adoleuerit, me uerberabit. est enim hoc nobis proprium, & hæreditarium. Et ille, qui cum à filio traheretur, eum iussit ad fores consistere. à se enim ad eum locum patrem esse tractum. Iam quo quisque maiore fraude & ex insidijs agit, eo iniustior est. Iracundus autem non agit fraude, neque insidiatrix est iracundia, sed aperta. & cupiditas est. ut aiunt Venerem. Cy-

prigenam enim insidias nectere ait Homerus, baltheumq; tribuit ei in quo doli essent,

Fraus, animos quæ prudentum insidiata fefellit.

Ita si iustior est, & turpior hæc impotentia ea quæ animi est, quæ eadem absolutè impotentia & uitiositas uocatur quodam modo. Præterea nemo dolens paret libidini. At qui per iram facit, omnis dolens facit: & qui libidini obsequitur, libenter facit. Si igitur quibus rebus iustius offendimur, eædē sunt cum maiore iniuria coniunctæ: & impotentia cupiditatum. Neque enim ira dominante loci aliquid libidini relinquitur. Ergo hoc iam perspicuum est, impotentiam cupiditatum, animi esse impotentia turpiorem: in ijsq; uoluptatibus & cupiditatibus esse continentiam ac impotentiam, quæ ad corpus pertinent. Intelligenda est autem harum ipsarum distinctio. Aliæ enim sunt, ut initio diximus, humanæ & naturales & suo genere & accessione, aliæ beluarum propriæ, quædam ex oblæso principio, morbis que gignuntur. quarum in primis duntaxat sunt temperantia & intemperantia. Itaque nec temperantes beluas dicimus, nec intemperantes, nisi per metaphoram, etiam si aliud animantium genus alij præstet, petulantia, cōtrectatione, & libidine omnia uorandi. Neque

que enim beluarũ ullum iudicium est, uel consiliũ: sed ut furiosi exuerunt hominem ex homine, sic feræ deprauatæ sunt natura sua. Minus autem malum est feritas & immanitas, quàm uitium: terribilius non item. Neque enim in illis quod est optimum, depraua-tum est, ut in homine, sed inflexum est & incuruatum, nec uim obtinet. Similiter igitur facio, ut si inanimum cum animante conferrem, utrum sit peius. Semper enim infirmior est & imbecillior eius prauitas, quòd principij sit expers. Ratio autem principium est. Similis igitur sum, ut si quis iniustitiam cum iniusto homine compararet, quorum utrumque quodam modo flagitiosius est. Nam homo si prauus sit, plura infinitis partibus detrimenta et incommoda quàm fera inferre potest. In qui- 7
bus autẽ uoluptatibus ac doloribus, cupiditatibus & fugis, quæ ad tactum gustatum' que pertinent, consistere temperantiam & intemperantiam suprà expo suimus, ijs potest quispiam ita esse affectus animo, ut ab ijs uincatur quæ etiã pleriq; superant: potest etiã ea uincere & infra se iudicare, à quibus plerique uincantur. Horum qui in uoluptatibus ita animo affecti sunt, ille continens, hic impotens, nominatur. In doloribus, hic constans & patiens, ille mollis & de-

licatus. Sunt autem & aliæ inter has locatæ animi affectiones, quanquam magis ad ultiosas deflectere uideantur. Et quoniam uoluptates aliæ sunt necessariæ, aliæ non, usque ad certum quendam modum: minimæ autem & parum magnæ, non sunt necessariæ; quod idem in doloribus contingit: qui immoderatas persequitur uoluptates, aut quia magnæ sunt, aut id faciunt de industria propter se, non propter aliud aliquid ex ijs consequens, is intemperans habendus est. Quem quoniam necesse est nullius facti pœnitere, idcirco est insanabilis. Omnes enim, quos nihil pœnitet, sanari nullo modo possunt. Qui autem deficit à modo perfruendæ uoluptatis, huic contrarius ponitur. At qui medius perfectus que est, temperans nominatur. Eadem est ratio eius, qui dolores corporis declinat: nõ quia uincitur, sed de industria. Eorum autẽ qui non animi iudicio ducũtur, quidãuoluptate rapitur, alius modestiæ fuga, quæ cupiditatẽ cõsequatur. Ita inter se sunt dissimiles. Sed multo deterior uideatur, si quis nulla aut leui cupiditate ductus, quàm si firmi, aliquid faciat: & si quis nulla ira incitatus pulset et uerberet aliquem, q̃ si idem cõmotus feciſſet. Quid enim facturus fuisse uidetur, si fuisset incitatus? Ita peior est impotente intemperans. Eorum

uere

uerò quos modò nominaui, alius mollis potius, alius in temperans appellatur. Contrarius autem est & continens impotenti, & molli ac delicato constans et patiens. Constantia enim & patientia in resistendo est. in uincendo continentia. Aliud est autem resistere, aliud uincere. ut aliud non uinci, aliud uincere. Quare expetenda quidem magis est continendi ratio, quàm resistendi fortitudo. Qui autem à ratione deficit ijs rebus, quibus pleriq; et obsistere possunt, et obsistũt, is mollis & delicatus habẽdus est (Deliciæ enim quædam animi mollities est) ut si quis uestem trahat, ne quam in ueste tollenda suscipiat molestiam et dolorẽ. Et qui imitatur ac fingit ægrum, non se miserum esse putat, cum sit misero par ac similis. Similis est ratio continentiæ & impotentiæ. Neq; enim mirum sit aliquem esse, qui à firmis et immodicis uoluptatibus doloribus ue uincatur: quinetiam uenia dãda est, si quis obsistens uincatur, ut Theodecti Philoctetes ictus à serpente, uel Carcini Cercyon in Alope. Et ut homines qui tenere risum conati, uniuersum effundunt, quod Xenophanti accidit. Sed si quis ijs omnibus succumbat, quibus pleriq; possunt obsistere, id deniq; sit mirum. præsertim si neq; genere naturæ, neq; morbo impeditus, possit obsistere. Qualis est in Scytharum

regibus mollities, propter genus hominũ, fœmina etiam à maris natura receßit. Atq; etiã intemperans uidetur, ſi quis eſt ad ludum propenſior, qui etiam mollis dicitur: ludus enim leuamentũ eſt, ſiquidẽ requies. At omnis qui ad ludũ eſt procluior, in ijs eſt qui modum requietis tranſeunt. Impotentia autem alia ex temeritate, alia ex imbecillitate gignitur. Alij enim conſilio capto, nõ ſeruant neq; tenent id quod ſtatuerũt, uicti & debilitati obiecta ſpecie uoluptatis. Quidam quia nihil ſe neq; rationem conſuluerunt, à perturbatione rapiuntur. Nonnulli enim quemadmodum quaſi titillati ante & deliniti blanditijs uoluptatis non ſuccumbunt, ſic cum præſenſerunt & prouiderunt, excitaruntq; & ſe & rationem, nunquam à perturbatione uincuntur, ſiue ſenſum ſuauitate quadam demulceat, ſiue aſperitate deterreat. Maximè autem acutorum & atra bili hominum eſt temeraria impotentia, quoniam illi propter celeritatem, hi propter uehemẽtiam rationem & iudicium ſuum non retinent, hoc ipſo quòd uiſionem & ſpeciem obiectam animo facilè
8 ſequantur. Quoniam autem, ut dixi, factorũ ſuorum non pœnitet intemperantem, quippe qui permaneat in ſententia, impotẽtem uerò quodam modo pœnitet: idcirco non ita eſt ut quærendo diſputauimus,

ſed hic

sed hic sanabilis est, illi nulla sanitas adhiberi potest. Simile est enim malum hoc aquæ intercuti & tabi: impotentia his hominibus, qui morbo comitiali afflictantur, propterea quòd assidua illa & sempiterna, hæc non assidua est improbitas. Omninoq; ex alio genere impotentia est, ex alio uitium: uitium enim omne occultum est, non est occulta impotentia. Atqui horum ipsorum meliores ij qui à ratione desciscunt, quàm ij in quibus est ratio, & sententia, neque in ea permanent, siquidem à minore perturbatione uicti iacent, neque id inconsultò, ut alteri. Est enim impotens ijs similis hominibus, qui & cito, & pauculo uino epoto, & minore quàm plerique, incidunt in ebrietatem. Ac impotentiam non esse idem quod uitium, nisi fortè aliqua ex parte, hinc perspici potest, quòd illa non est cum animi iudicio & proposito coniuncta, uitium est. Est inter hæc tamen in actionibus quædam similitudo, ut illud Demodoci in Milesios: Milesij non sunt illi quidem insipientes, sed tamen eadem quæ insipientes faciunt. Et impotentes quidem cum non sint iniusti, faciunt tamen iniuriam. Quoniam quæ hic eiusmodi est, qui propterea quòd sibi non persuaserit, immoderatas quasdam etiam contra rectam rationem corpore uoluptates percipiat,

ille autem sibi induxerit animum, quòd sit eiusmodi qui eas sequatur: ille facilè desistet de sententia, hic non desistet. Nam & uirtus omnis principium conseruat, & uitium labefactat. Principium autem actionis & officij, id est quò referuntur omnia: ut in Mathematicis, ea quæ ponuntur. Vt igitur illic, ita hic principia non docet ratio, sed sola uirtus, uel quæ insita est natura, uel à more perfecta, bene sentire docet de principio. Est igitur eiusmodi temperãs. cui est intemperans contrarius. Est etiam alius, qui propter perturbationem à recta ratione desciscit, quem ut ne agat ex rationis præscriptione, impellit perturbatio: eadem ut ei certum sit et destinatum, eius generis uoluptates persequi oportere, non uincit. Hic impotens nominatur, qui & melior intemperante est, nec plane improbus. Saluum enim in eo & integrum est principium, quo nihil in nobis est præstantius. Huic autẽ repugnat alius, qui permanet in sententia, à qua eum nulla potest dimouere perturbatio. Ex quo perspicuũ est, hanc in bonis, illam in malis esse animi affectionem. Vtrum igitur in quauis sententia continens 9
cernatur, & quolibet proposito, an in recto & honesto? Et impotens, utrum non in qualibet sententia permaneat, & institutum quodlibet non sequatur, an

falsam

falsam duntaxat rationem teneat, rectumq; que institutum? ut initio quæsitum à nobis est: an fortuitu in quibus, per se in uera ratione & sententia ille permaneat, hic non permaneat, quæstio est. Si quis enim hoc propter illud expetat uel sequatur, per se & propter se hoc expetit: fortuitò illud superius. Omnino autem & absolutè dicimus expeti id, quod propter se expetatur. Ita in qualibet hic sententia permanet quodammodo, ille ab eadem abducitur, ac propter se in uera. Sunt autem qui in sententia permanent, sunt etiã quos pertinaces uocant, quales sunt ij qui desistunt ægrè à sententia. Hi simile quiddã habent continenti, ut prodigus liberali, & audax forti, cum ab eo absint dissentq; plurimum. Qui enim perturbatione aut cupiditate non abducitur à sententia, is continens dicitur: quandoquidẽ si ita res ferat, desistet facile à sententia continens. Illi uerò non ratione ducti mutant sententiam. Nam se ultro cupiditatibus offerunt, & pleriq; inflammati uoluptate rapiuntur. Pertinaces autem sunt, sententiæ suæ defensores, & indocti & agrestes. Ac sententiæ suæ defensores, in eo uel uoluptatem sequuntur uel dolorem. Voluptatem enim ex uictoria percipiunt, si non dimoueantur de sententia: & ferunt iniquo animo, si sua, quasi decreta tollantur &

tur & infirmentur. Ita sunt illi quidē impotenti quàm continenti similiores. Sunt etiam qui non stant in eo quod statuerunt, non propter animi impotentiam, ut in Philoctete Sophoclis Neoptolemus, qui propter uoluptatem eamq; honestam non permansit in sententia. Nam uerum enunciare, honestum illi fuit, cum illi mentiri induxisset Vlixes. Neq; qui uoluptatis causa nisi obscœnæ aliquid faciunt, omnes continuo uel intemperantes, uel scelesti, uel impotentes sunt habendi. Quoniam autem est aliquis eiusmodi, qui minorem quàm sat sit, corpore uoluptatem percipiat, quiq; cum sit eiusmodi permanet in sententia: fit, ut inter eum et impotentem, medium locum obtineat continens. Nam & propter uim quandam maiorem non seruat rationem impotens, & hic propter minorem. At uerò continens sic suum iudicium retinet ac ratione, ut ab ea nulla ui nullo'que impetu possit deijci. Quoniam'que in bonis est continentia, ambas necesse est contrarias animi affectiones esse in malis. Quod perspicuum est quidem certè: sed quia altera in paucis atque raro animaduertitur, idcirco ut temperantia intemperantiæ modò repugnare uidetur, sic continentia impotentiæ. Et quoniam multa dicuntur per similitudinem, continentia quoque temperantem similitudine

tudine quadam consecuta est. Vt enim continens, sic temperans eiusmodi est, qui nihil quod rationi sit contrarium, faciat propter eas quæ ad corpus pertinent uoluptates. Sed hoc interest, quòd in illo insunt, in hoc nullæ sunt prauæ cupiditates: & quòd hic eiusmodi est, qui nulla contra præscriptum rationis capiatur uoluptate. capitur ille quidem, sed non rapitur. Similes etiam sunt inter se intemperans & impotens, cum sint & dissimiles, quoniam uterque uoluptates corpore percipit, sed ille sentit percipiendas esse, hic non putat. Neque uerò unus 10
idemque unà prudens esse potest & impotens. Nam qui prudens sit, eundem etiam bonum uirum esse ostendimus. Præterea non ex eo solum prudens nominatus est, quòd intelligat, sed ex eo etiam quòd usu rerum ualeat ad rerum actionem. Atqui non est idoneus ad rerum actionem impotens. Ingeniosum quidem hominem nihil prohibet impotentem esse. Itaq; nonnulli uidentur interdum prudentes, etiam impotentes, propterea quòd ut superioribus libris ostendimus, inter ingenium & prudentiam intersit, & quòd finitima sunt cogitatione, sed re natura que differant. Nec uerò debet impotens ita affectus esse animo, ut qui scit, & contemplatur, sed ut dormientes & furiosi. Idemque

uolun-

uoluntate ſua facit omnia (ſcit enim quodam modo et quid & cuius rei cauſa agat) ſed minimè eſt improbus. Rectum enim eſt in eo animi iudicium. Quocirca improbus aliqua ex parte eſt, non iniuſtus, cum nõ fraude neq; ex inſidijs agat. Eorum enim quidam non ſtant in eo quod iudicarunt, furioſus autem non deliberat omnino. Similis eſt igitur impotẽs ciuitati, quæ ſtatuit illa quidem quæ ſunt præclara omnia, legesq; habet & bonas & ſalutares, ſed nulli paret. Id quod Anaxandrides facetè dixit, Ciuitas leges condit, quas non tuetur ipſa. Improbus autem ei, quæ ſeruat illa quidem leges, ſed malas & perniciosas. Sed in eo quod multitudinis animum uincit, omnis et continentia & impotentia cernitur. ille enim diutius, hic minus diu perſtat in ſententia quàm uires ferant plurimorum. Facilius q; impotentia ſanari eorũ poteſt, qui atrabili tenentur, quàm eorum qui ſtatuunt, nec ſtant in eo quod ſit iudicatum. Et ij qui conſuetudine, quàm qui natura impotentiam compararunt. Eſt enim facilius conſuetudinem mutare, quàm naturam: quippe cum propterea ſit moleſta conſuetudo, quòd ad naturam proxime accedat. Id quod etiã Euenus poëta carminibus tradidit,

Conſuetudo ualet, longos manſura per annos:

Illáq;

Illaq; naturam, uires si sumpserit, æquat.
Ac continentia quid sit, quid impotentia, quid cõstantia & mollities, quam hæ inter se rationem habeant animi affectiones, iam expositum explicatumq; est.

Voluptas autem quid sit, quid dolor, quæq; eorum 11
uis & natura, Philosophi ciuilis est tenere & cognosse: quippe cum is sit finis beatæ uitæ quasi architectus, quem intuentes omnia uel in bonis uel malis esse censeamus. Iam uerò cum uirtutes et uitia more perfecta, in uoluptate ac dolore inhærere posuerimus, pleriq; etiam cum uoluptate uitam beatã coniunctam esse affirment: hæc nobis de uoluptate & dolore etiam necessariò suscipienda disputatio est. Itaq; μακάριον, id est beatum, ἀπὸ τοῦ χαίρειν nominarunt. Sunt igitur, qui nullam uoluptatem bonum esse censent, neq; per se neq; fortuitò & accessione: quod nõ idem sit bonum & uoluptas. Alij nonnullas in bonis numerant, multas in malis. Tertia etiã est sententia eorum qui asserunt, et si omnes in bonis sint, tamen non posse summum bonũ in uoluptate numerari. Omnino quidem non est bonũ uoluptas, quòd uoluptas omnis sit motus quidam, qui cũ suauitate quadam naturam mouet, & ad eam affluit & illabitur. Neq; enim ex eodem genere sunt motus & finis. ut nulla in ædificando

cando ſuſcepta opera, domus uocatur. Præterea & temperans uoluptates fugit, & prudens ſequitur id quod dolore uacat, non quod uoluptatem efficit. Impedit etiam uoluptas conſilium, eoq; magis, quo maior ſit & longior, ut luxurioſorum. qui enim in ea ſit, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatiõe cõ ſequi poteſt. Iam uerò, nulli arti quaſi materia quam tractet & in qua uerſetur, ſubiecta eſt uoluptas, cum interim omne ſit artis opus in bonis. Præterea uoluptatem & pueri perſequuntur, & beluæ. Nam non omnes eſſe in bonis, hinc perſpici poteſt, quòd earum quædam obſcenæ ſunt, & ut probra obijciuntur, & quòd nocent. Quædam enim eorum quæ ſenſum dulcedine quadam permulcent, morbos afferũt. Non eſſe autem in uoluptate ſummum bonum, quòd non finis ſit, ſed ortus. Atque hæc ferè ſunt, quæ de
12 uoluptate aſſeruntur. Ex quibus non effici, ut uoluptas ne ſit bonũ, neq; ſummũ bonum, primũ ex hoc intelligi poteſt, quòd cum duplex ſit bonum, alterum, quod abſolutè et per ſe bonum ſit: alterum, quod alicui bono ſit et uſui, eodem etiam modo naturæ et habitus conſequentur. Ita et motus, et ortus. Quæq; malæ uidentur, perfectè & per ſe malæ ſunt, alicui non ſunt, ſed expetendæ. Quædã uerò certo cuidã uolu-

ptati

ptati nõ sunt, sed aliquãdo, et perexiguo tempore, ex petendæ non itẽ. Aliæ non sunt uoluptates, sed uidentur, quales sunt ægrotorũ. Deinde cum bonorũ aliud sit actio, aliud habitus, quæ ad constitutionẽ habitus naturalis pertinẽt, accessione ac fortuitu sensus mouent atq; delectant. Est autem in cupiditatibus actio reliqui habitus atque naturæ. Sunt enim quæ dolore & cupiditate uacant uoluptates, quales sunt quæ cognitionis contemplationisque causa percipiuntur, tum cum natura nihil desiderat. Quod ex eo perspici potest, quia non eisdem rebus uoluptatem parientibus delectantur homines, tum cum natura expleta est, & contenta ijs quæ per se uoluptatem pariunt, & cum satiata est contrarijs. Nam & acribus & amaris tum delectari solent, quorum nihil suapte natura gratum est, neq; absolutè iucundum. Ita ne uoluptates quidem. Vt enim quæ habẽt delectationem inter se differunt, sic eæ etiam quæ ex illis percipiuntur uoluptates. Nec uerò aliud aliquid necesse est uoluptate esse præstantius, ut nonnulli asserunt, uidelicet finẽ motus. Neq; enim sunt in motu uoluptates, nec copulatæ sunt omnes cum motu: suntq; potius actiones & finis. Nec dum gignuntur eueniunt, sed cum ad usus adhibẽtur. Non est etiam finis omnibus alius

propositus, sed ijs modò, quæ ad perfectionem habitus & naturæ pertinent. Itaque illud non est præclarè dictum, uoluptatem esse motum quendam cum sua uitate ad sensus affluentem. Sed definienda fuit potius, actio esse habitus naturæ congruentis. & proillo, ad sensus illabens, non impedita. Quanquam motus uidetur esse, quòd proprie & uere sit in bonis, cum præsertim actionem motum esse putent, & sit aliud. Nam quod aiunt, malas esse propterea, quod morbos pariant nonnullæ res quæ uoluptatem efficiant, idem ualet contra salubria, quorum quædam rei nummariæ obsunt. Hac quidem ratione utraq; erunt inutilia. Atqui ex hoc quidem nõ sunt praua æstimanda, quoniam cognitio etiam rerum nocet interdum ualetudini. Neq; uerò consilium mentis aut habitum ullum impedit quæ ex quaq; re percipitur uoluptas, sed absurdæ. Etenim quæ ex discendo & contemplando capiuntur uoluptates, in ijs inuitamenta quædam insunt, quibus magis ad discendum cognoscẽdumq; mouemur. Quod autem afferunt, arti nulli uoluptatem quasi materiam quam tractet, propositam, præclarè cecidit. Neq; enim ullius alterius actionis ars est, sed potius facultatis. Quanquam uoluptatis uidentur esse unguentaria & culinaria. Quod uerò aiunt, tempe

ran-

rantem fugere prudentem'qne sequi uitam dolore uacantem, pueros autem & beluas uoluptatem persequi: hæc una ratione omnia refelluntur. Sunt enim, ut diximus, nonnullæ per se bonæ & honestæ: aliæ non honestæ, quas pueri ac beluæ sequuntur. prudens autem earum uacuitatem, quæ cum cupiditate et dolore coniunctæ sunt, quæ eædem ad corpus pertinent. (hæ enim sunt ex eo genere.) et intemperans eas, ex quibus intemperans nominatus est. Itaq; moderatus uir eas fugit, quoniam sunt & temperantis quædam propriæ. Hoc etiam inter omnes constat, do- 13
lorem malum esse atq; fugiendum. Nam alius absolutè malum est, alius quia est impedimento. Quod autem ei contrarium est quod fugiendum sit, quia fugiendum est atque malum, id omne bonum. Est igitur bonum uoluptas. Neque enim ita processit refutatio ut dissoluebat Speusippus, ut maior res minori & pari est, dolorem uoluptati esse contrarium. Neq; enim dicat uoluptatem quasi malum quoddam esse. Sed nihil prohibet summum esse bonum uoluptatem, etiam si nonnullæ numerentur in malis: ut si pernicioſæ sint aliquæ scientiæ, tamen sit aliqua in bonis scientia. Quinetiã si ab unoquoq; animi habitu proficiscãtur nõ impeditæ actiones, siue in omnium actione sit bea

titudo, siue in earum aliqua nõ impedita: profectò eã necesse sit expeti maximè. Atqui hocipsum est uoluptas. Ita erit summũ bonũ uoluptas, etiam si aliquæ in malis ponantur omnino. Ob eãq; causam beatam uitam et iucundã ducunt omnes, et cũ uoluptate coniũgũt, nec iniuria. Nulla enim actio si impedita sit, perfecta esse potest. Beatitudo autem undiq; perfectum quiddam & absolutũ ponitur. Quocirca corporis bonis & externis eget beatus, ut ne hæc impediri possint. Qui autem beatum eum dicunt, qui eculeo torqueatur, maximisq; opprimatur calamitatibus, dũmodò uir bonus sit, seu uoluntate sua, seu inuiti, nihil dicũt. Videtur autẽ quibusdã beata uita idem esse quod secunda fortuna, hoc ipso quòd externis bonis sit opus. Non ita est. Ea enim si immoderata est et immensa, impedimento sit beatæ uitæ, nec iã prosperitas appellari debeat. Est enim eius in beata uita certus quidã modus terminusq; retinendus. Sed uoluptatẽ quidem esse summum bonum quodam modo, hinc intelligi potest, quòd eam omnes homines & beluæ sequuntur. Nec opinio quidem certè omnino extincta est, quam tot populi clarã illustremq; reddiderũt. Sed quoniam non eadem est aut uidetur natura affectio'ue optima, idcirco non eandem omnes sequuntur uoluptatẽ: sed tamen

tamẽ uoluptatẽ omnes, non quã putant quidẽ, aut no
minarent, sed tamen eandẽ fortasſis perſequũtur. Eſt
enim natura diuinũ quiddam inſitũ omnibus. Sed no-
minis hæreditatem ſibi uendicarũt, et ſumpſerunt ad
corpus pertinentes uoluptates, quòd ferè ad eas pro-
cliues ſint omnes, earũq; ſint participes. Quoniã igi-
tur hæ ſolæ notæ ſunt, idcirco has ſolas eſſe putant.
Illud etiam perſpicuum eſt, niſi ſit uoluptas bonum et
actio, non poſſe iucunde uiuere beatum. Quamobrẽ
enim eam deſideret, ſi non modò non ſit in bonis, ſed
et in ea poſsit dolens uiuere. Neq; enim dolor bonũ ſit
aut malum, niſi etiã uoluptas ſit. Ita quamobrem eum
fugiat? Non igitur quidem iucundior ac ſuauior ſit
uita boni uiri, niſi etiam eius ſint actiones. De ijs 14
autem uoluptatibus quæ ad corpus pertinent, iam diſ
ſerendum eſt nobis, quoniam quidem nonnullas uolu
ptates uehementer expetendas dicimus, ut ſunt ho-
neſtæ ac liberales, non corporis, nec in quibus uerſa
tur intemperans. Quid eſt igitur, cur dolores contra
rij ſint in malis? ſiquidem malo bonum eſt contra-
rium. An quia quod malum non eſt, idem etiam bo-
num eſt, ita ſunt neceſſariæ in bonis? an ad certum
aliquem uſq; terminũ & modum ſunt in bonis? Nam
quib. in affectionib. motionibuſq; tranſire modũ non

licet, nec in uoluptate licet: quibus licet, & in uoluptate. uoluptatum autem corporis est quædam immoderata copia et exuperantia, et malus in eo cernitur, quòd immodicè his perfruitur, non necessarijs. Omnes enim & epulis delectantur, & uino et libidine, sed non ut ratio postulat. Cõtráq; fit in dolore. Neq; enim quispiam nimium dolorem fugit, sed dolorem omnino: quippe cum ei non sit quod nimium est contrarius, nisi fortè ei qui quod immoderatũ est ac nimium persequatur. Et quoniã nõ solum uerũ enunciandum est, sed causa etiã afferenda est cur quicq; falsum sit (hoc enim ad fidem ualet. Nã cum apparet, consentaneũ esse, quamobrem uisum sit uerũ quod uerum non esset, tum id facit, ut uero magis assentiamur) idcirco afferenda ratio est, cur uoluptates corporis magis expetendæ esse uideãtur. Ac primũ quidem certè, quòd depellunt dolorem. Itaq; cum maioribus quibusdã doloribus excruciantur, tum quasi medicinã quandam singularem corpore percipiunt uoluptatem. Quoniã aũt uehemẽtes curationes adhibẽtur, idcirco eas persequũtur, propterea quòd contrario repugnare uideãtur. Non igitur bonũ uidetur uoluptas, ut dixi, duab. de causis: quòd aliæ sunt actiões deprauatæ naturæ, aut simul ut orta est, qualis est ferarũ: aut consuetudi-

ne

ne, ut flagitioſorũ hominũ. aliæ ſunt medicinæ et curationes eius quod deſideratur, quas melius eſt adeſſe quàm gigni. Quædam quoniam cum perfectæ ſunt, percipiuntur, fortuitò ſunt bonæ & honeſtæ. Iam percipiuntur ab ijs qui alijs affici non poſſunt, hoc ipſo quòd firmæ ſunt & uehementes. Itaq; ſitim quandam ſibi ipſi obſonant & comparant: quæ ſi nemini noceat, caret reprehenſione: ſin noceat, eſt in uitio. Neq; enim præſto ſunt aliæ quibus perfruantur, quorum neutrum moleſtum eſt pleriſq; natura. Sunt enim in perpetuo labore animantia, ut etiam phyſica, id eſt naturalis ratio declarat, quæ cernere & audire moleſtum eſſe docet, ſed aßiduitate quotidiana & cõſuetudine ſenſuum aſſueuimus. Similiter q; in adoleſcentia homines ita affecti ſunt propter creſcendi cõſuetudinem, ut uinolenti, & iucũda eſt adoleſcentia. At uerò qui atra bili ſunt natura, ij ſemper requirunt deſiderant q; medicinam, quòd eorum corpus continenter pungatur propter temperationem, et infirmis ſint cupiditatibus. At qui abijcit dolorem, quæuis etiam, dum uehemens ſit, dolori aduerſaria uoluptas. ob eã q; cauſam homines intemperantes fiunt & flagitioſi. Quæ autem uacant dolore uoluptates, earum nullæ ſunt exuperantiæ, quo ex genere ſunt quæ ex ijs gi-

gnuntur, quæ habent ſuapte natura, non fortuitò & caſu oblectationem. Dico autem fortuitã habere oblectationem, ea quæ medicinã faciunt. Nam quòd accidit, ut curent, quoniam ualetudo reliqua eſt quæ agit aliquid, idcirco efficere uidentur uoluptatem. At uerò ſuapte natura uoluptate afficiunt, quæ eiuſmodi naturæ actionem perficiunt & abſoluunt. Res autem nulla nos ſemper eadem delectat, quòd non eſt natura noſtra ſimplex, habetq; in ſe quiddam admixtum, diſpar ſui ac diſſimile, quo eam interire neceſſe ſit. Ita ſi quid pars altera faciat, id continuo à natura alterius ſit alienum. Sin exequatur, nec iucundum eſt quod agitur, neq; moleſtum. Nam ſi natura ſimplex ſit alicuius, eadem ſemper ex actione ſummam capiat uoluptatem. Itaq; una Deus, eaq; ſimplici uoluptate perfruitur. Non enim motionis tantummodo eſt actio, ſed etiam ſtabilitatis: & magis eſt in ſtabilitate uoluptas, quàm in motu. Fit autem neſcio quo uitio hominum, ut ſententia poëtæ, rerum omnium nihil iucundius mutatiõe, nihil ſuauius eſſe uideatur. Vt enim homo, qui facile huc atq; illuc impellitur, malus eſt: ſic natura ea quæ eget mutatione, quoniam nec ſimplex eſt, nec recta. Dictum eſt de continentia, de impotentia, de uoluptate & dolore. quid etiam ſit unumquodque

que eorum, quoq; modo eorum aliqua in bonis sint, alia in malis.

LIBER OCTAVVS.

EQVITVR ut deinceps de amicitia dicendum esse uideatur, quãdoquidem aut uirtus quædam est, aut cum uirtute copulata. Eadem etiam ad usum uitæ est necessaria maximè. Nã quis est, qui uelit, ut ne diligat quẽquam, nec ipse ab ullo diligatur, circũfluere omnibus copijs, atq; in omni rerum abudãtia uiuere? Etenim ut quisq; maximè opibus, principatu et potestate excellit, ita in amicitijs expetendis colendisq; maximè excellit. Quis enim esset tãtus fructus in prosperis rebus sublata benignitate, quæ et in amicos extat maximè, et amplissimis laudibus afficitur? Aut quo tandem modo, sine amicis custodiri cõseruariq; possent? quarum possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuẽdam. In paupertate etiam, cæterisq; asperis rebus omnibus, amicorũ bonitatẽ perfugiũ putant cõmune esse omnium. Iam & adolescentes in officio cõtinent amici, & senibus ad obsequium præsto sunt, eas que uitæ actiones fungendas, quibus propter imbecillitatem deesse coguntur: & constanti ætati comites se ad

se ad præclara honestaq; facinora præbent. Etenim si duo unà iter faciant, & maiora animo ac mente agitare, & plura conficere possunt. Ac mihi quidem certè uidetur natura esse inter natos & parentes: quod non solum in hominibus animaduerti potest, sed in auibus etiam bestijsq; plurimis, ijsq; omnibus qui quodam gentilitatis iure sunt ac societate coniuncti. Sed hoc in homine est multò euidētius ex ijs laudibus quibus eos afficimus, qui alijs consulunt. Cernere etiam licet in erroribus, quàm sit homo homini coniunctus & amicus. Videturq; amicitia Rempub. continere, et maiore, quàm iustitia, in studio fuisse legūlatoribus. Nam cum amicitiæ sit concordia similis, & hanc maximè sequuntur illi, & seditionem quæ ei inimica sit, omni ratione exterminant. Quòd si amicitia inter omnes esset, nihil esset quod iustitiam desiderarent. At si iusti essent, tamen amicitiæ præsidium requirerent. Iustorum etiam proprium est, in expetendis amicitijs excellere maximè. Nec uerò res est solū necessaria, sed honesta etiam atque præclara. Nam & eos laudamus, qui amicos diligunt, & à multis diligi præclarum ducimus, et nonnulli uiros bonos eosdem amicos putant. Sed de ea inter Philosophos multa dissensio est. Alij enim eam similitudinem quandā ponunt, et

amicos

amicos ſimiles. Ex quo prouerbia facta ſint, Pares cũ paribus facillimè cõgregantur, et Graculus cum graculo, & cætera generis eiuſdem. Alij contrà, figulos aiunt ita eſſe inter ſe animatos, eorumq; cauſas longius & à natura ſtudioſius petunt. Euripides quidem, Terram ait cum ſicca eſt, deſiderare imbrem: Cælũ autem cum magna aquæ copia abundat, terram expetere. Et Heraclitus, contrarium utile, & ex rebus diſparibus & diſſimilibus pulcherrimum concentum effici, & diſcordia effici omnia. Ab his cum multi alij, tum Empedocles diſſentit. Nam pares cum paribus facillime congregari. Quæſtiones igitur naturales quoniam non ſunt huius diſputationis, omittamus, & eas quæ naturam attingunt humanam, quæq; ad mores perturbationesq; animi pertinent tractemus. uelu ti, utrum in omnibus ſit amicitia, an inter malos eſſe non poſſit. & num ſit unum modo genus amicitiæ, an plura. Qui enim unum eſſe putant quòd acceſſionem & deceſſionem admittat, non ſatis magno illi quidem argumento nituntur. Habent enim acceſſionem et deceſſionẽ multa quæ genere inter ſe differunt, de quibus ſuprà diximus. Hæc autem facilè intelligentur, ſi quid ſit amabile cognouerimus: quippe cum nõ uideantur diligenda omnia, ſed ea duntaxat, in quibus 2

ineſt

ineſt cauſa diligendi: in quibus ſunt honeſta, utilia, et iucunda. Vtilia quidem ſunt, ex quibus utilitas aliqua percipitur, uel cõſequitur uoluptas. Ita in eo quod amabile eſt, uel utilitatem ſequimur, uel uoluptatem. Sed utrum id quiſq; diligat, quod abſolutè bonum eſt, an quod ſibi bono eſt, quæſtio eſt: quoniam hæc interdũ inter ſe diſcrepant. Itemq; de iucundis rebus quæri poteſt. Videtur autem id unuſquiſq; amare, quod ſibi bono eſt. Quod uerò perfectè abſolutèq; bonũ eſt, per ſe omne amabile. Vnicuiq;, quod ſibi quiſq; utile iudicat. Quod autem cuiq; bono ſit, non id quiſq; diligit, ſed quod eſſe uideatur. Nihil intereſt, quoniam erit amabile quod uideatur. Quoniam autem ab his tribus omnes cauſæ diligendi proficiſcũtur, cum ijs quidem quæ inanimata ſunt, nemini eſſe amicitia dicitur. Nõ eſt enim mutuus amor in eis, nec ea uolunt bonis affici. Rideatur enim, ſi quis uinum bonis affici uelit, ſed integrum ac ſaluum omnes uolunt, ad uſus ſuos. At qui omnes aiunt oportere amicum uelle bonis affici, eius cauſa, nulla utilitate quæſita. Qui autem ita uolunt amicos abundare bonis, eos beneuolos appellant, ſi idem ab illo uiciſsim non fiat. Beneuolentiam enim aiunt in ijs eſſe amicitiam, qui uiciſsim idem faciũt eo accipiunt. Sed nunquid eò addendum eſt, ſi non ſit

occul-

occulta? Multi enim propter bonitatis utilitatisq; opinionem, etiam eos quos nunquam uiderunt, quodam modo diligunt. fieri que potest, ut eorum aliquis sic in hunc sit animatus. Quocirca hi beneuolentia inter se illi quidē coniuncti uidentur esse, sed amicos quis eos dixerit, cum quemadmodū inter se animati sint, ignorent? Amici ergo & beneuolentia inter se colligati debent esse, & se uelle ultro citró que bonis affici.

Sed genere differunt amores & amicitiæ. Sunt enim tria amicitiæ genera, quæ rebus amabilibus æqualiter pariter que respondent. Est enim suus cuiusque generis mutuus amor haud obscurus. Et qui inter se diligunt, alteri alteros se bonis affici uolunt, quia diligunt. Ac ij quidem qui utilitatis causa fingunt amicitias, non propter se causá que sua inter se amant, sed quia utilitas aliqua utrinque pariatur. Eadem est ratio eorum, qui amicitias colunt propter uoluptatem. Non enim facetos propterea diligunt, quia probi sint, sed quia delectent. Quapropter & ij, qui utilitatis causa amicitias sequuntur, suis commodis, & ij qui delectationis causa, amorem sua ipsorum uoluptate metiuntur. Nec quia boni sunt, coluntur, sed quia fructuosi & iucundi. Sunt ergo hæ fortuitæ & fucatæ amicitiæ, quoniā non idcirco qui diligitur, coli-

colitur, quia sit probus: sed quia uel utilitatis præbitor sit, uel minister libidinis. Quocirca celeriter hæ quidem tales amicitiæ dirimuntur. quippe cum pares ac similes illi qui hæc sequuntur, minus permaneant. Etenim si iam non sint uoluptati nec utilitati, ab amore desistunt. Et quoniam utilitas nõ permanet, aliasq; alia paritur, eo quod amicitiam constituerat sublato, amicitia etiam dissoluitur, quòd ijs amicitia cum illis rebus intercederet. Cuius generis amicitia maximè in senibus uigere solet. Non enim id ætatis homines uoluptatem in amicitijs, sed utilitatem sequuntur. atq; homines corroboratis iam confirmatisq; ætatibus, & adolescentes, ij omnes, qui emolumentum & fructũ sequuntur. Cumq; non admodum eiusmodi homines communione uitæ consocientur, (interdum enim ne affabiles quidem iucundosq; se esse uolunt) fit, ut ne hanc quidem uitæ consuetudinem desiderent, nisi ex ipsis fructus utilitasque capiatur. Manent enim iucũdi tandiu, quandiu sperant se aliquem fructũ esse capturos. Quo in genere hospitalitatem ponunt. At uerò adolescentum amicitia uoluptatis causa omnis constituta uidetur esse. Eorum enim cum omnis in libidine & perturbatione uita consumitur: tum ex quo capiant uoluptatem, eamq; in præsens, id omne uel studiosissi-

diosissimè persequuntur. Et quia mutata ætate alia sequuntur quæ delectent, idcirco repente & amici fiunt, & ab amore desistunt. Nam eorum amor sæpe unà cum uoluptate deponitur, cuius cita est & repentina mutatio. Itaq; & cito diligunt, & ab amore desistunt sæpe eodem die mutata sententia. Hi unà uersari totos dies cupiunt, & uitæ societate coniungi, quòd isto modo eis adsint ea omnia quæ ad amicitiam pertinent. At uerò perfecta illa amicitia est, qua uiri boni pari uirtute præditi inter se coniuncti sunt & copulati. Hi enim ultro citroq; bonis se affici uolunt, quia sint boni. boni aũt sunt sua sponte. Qui autẽ amicos affici bonis cupiunt illorũ causa, ij maximè amici habendi sunt. Sunt enim suapte sponte ita affecti animo, nõ temere neq; casu. Manebit igitur horũ amicitia tandiu, quandiu boni futuri sunt. At uirtutis manet certa & stabilis possessio. Atq; etiam omnino uterque bonus est alteri. si quidem uiri boni absolutè ac perfectè boni sunt, utilitatesq; ex amicitia percipient atq; oblectationẽ. Qui enim uerè boni sunt, ijdem etiam inter se alter alterũ oblectant. Suæ enim cuiq; iucundæ actiones, & bonorũ sunt eiusmodi uel similes actiones. Sed hæc talis maximè firma est & stabilis amicitia, nec sine causa. Sunt enim in ea om-

nia quæ amicis ineſſe debent. Omnis enim amicitia uel ad fructũ dirigitur, uel ad uoluptatẽ, aut ſine adiunctione, aut eius certè qui diligit, atq; ad quandam ſimilitudinem: quæ huic per ſe inſunt omnia. Huic autem ſimilia ſunt reliqua, quod per ſe bonum eſt, quodque per ſe iucundum, quibus nihil amabilius reperiri poteſt, nil copulatius. Ergo in illis ineſt amor & amicitia, eáque optima. Iure autem rarum eſt maximè iſtud genus amicitiæ. Siquidem hominum huius generis magna eſt penuria, & tempore ac conſuetudine opus eſt. Nam uerum illud eſt, Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut inter ſe norint. Nec antè quidem probari aut amici eſſe poſſunt, quàm habeant quaſi ſigna quædam & notas, quibus uterque alterum, an ad amicitiam ſit idoneus, iudicet. Qui uerò nimis cito ea omnia perficiunt, quæ ad amicitiam pertinent, ij ſe illi quidem amicos eſſe uolunt, nec ſunt tamen, niſi ſint digni amicitia: itáque iudicent. Repente quidẽ conciliandæ amicitiæ uoluntas naſcitur, amicitia non item: ſed & tempus & cætera omnia, ut perfecta & abſoluta ſit deſiderat. Quæ omnia & ſimilia ab utroque extant in alterum. quæ quidem in amicis ineſſe conuenit. Quæ autem iucunditatis cauſa conflatur, huic eſt ſimilis. Boni enim uiri ſe ultro

ultro & citro oblectant. Item' que ea quæ utilitatibus emolumentis' que colitur: siquidem uiri boni tales se alter alteri præbent. Tum uerò amicitiæ huius generis permanent diutißimè, cum ab amicis paria ut iucunditates miniſtrantur. neque ita ſolum, ſed ſi etiam ab utroque proficiſcantur, ut facetis contingit, non ut in amante & eo quem ille inſano amore deperit. Neq; enim ijſdem rebus mouentur iſti, ſed illa forma huius, hic amatoris obſequio & obſeruantia. Simulac igitur forma immutata eſt, interdum etiam amicitia diſſoluitur, cum in hoc non eſt iucundus aſpectus, ab illo hic nõ colitur. Sed pleriq; in amicitia permanent, ſi moribus ſimiles conſuetudine adiuncta mores diligant. Qui autem in amoribus non iucunditatẽ, ſed utilitates permutant, minus diu permanent in amicitia. Qui uerò amici ſunt ſpe quæſtus et emolumenti, eorũ amicitiam utilitas cõmutata diſſoluit: quippe qui ſe nõ inter ſe diligerent, ſed utilitatem et fructũ. Quocirca ſuauitatis utilitatisq; cauſa et malis inter malos, & bonis cũ improbis, & neutris cum quolibet amicitia eſſe poteſt. Sed perſpicuũ eſt in ſolis bonis uerã perfectãq; eſſe amicitiã. Malis enim inter malos, niſi qd emolumẽti cõſequatur, nõ eſt amicitia. Sola etiam bonorũ amicitia reprehenſione et crimina

tionibus caret. Non enim facilè est criminibus aliquem oblatis credere de eo, quem ipse diu probauit, atq; perspexit. Præterea & fides in his uiget, nec ullus relinquitur iniuriæ locus, cæteraq; omnia quæ in uera amicitia postulantur. In alijs autem societatibus nihil prohibet contraria his existere. Quoniam enim homines, eos etiam amicos appellant, qui utilitatibus, emolumentis, & fructibus amicitias dirigunt: ut ciuitates, in quibus societates nasci uidētur utilitatis causa: & eos qui oblectationis causa inter se amant, ut faciunt pueri: certe hos tales homines nos etiam amicos appellemus. Amicitiæ autem genera sunt plura. Ac primum quidem & propriè amicitiam eam nominemus, quæ inter bonos est quia boni sint: reliquas ex similitudine. Amici sunt idcirco, quia in eis aliqua est boni significatio & similitudo. Etenim iucunditas bonum ijs uidetur, qui studiosi sunt iucunditatis. Nec hæ ferè amicitiæ copulatæ coniunctæ que reperiuntur in quoquam, nec ijdem utilitatis causa fiunt amici & uoluptatis, quòd non admodum coniugata sunt, quæ temere & casu eueniunt. Cumq; in hæc genera distributa sit amicitia, improbi quidem amici futuri sunt utilitatis uoluptatisq; causa, quia similes sint: boni autem per se amici sunt, quia probi. Hi-

ergo

ergo absolutè amici nominantur, illi fortuitò, & quia his sunt similes. Vt uerò in uirtutibus sic in amicitia, alij animo & habitu, alij usu & actione amici nominantur. Alij enim uitæ consuetudine & societate coniuncti, & se ultro & citro oblectant, & utilitates suppeditant. Quidam uerò dormiunt, disiuncti' ue sunt illi quidem interuallo locorum, nec utuntur amicitia, sed ita sunt affecti animo, ut proprio amicorum munere fungantur. Neque enim locorum interualla funditus tollunt amicitiam, sed officia & actionem. Quod si sit diuturna absentia, amicitiam quoque delet, ac obruit obliuione. Ex quo factum est prouerbiũ, Multas quidem amicitias diremiße silentium. Sed nec senes, nec seueri, idonei ad amicitiam uidentur: quippe cum nec in ijs sit admodum iucunditatis, & nemo posßit cum triſti uiuere. Nam et dolorẽ natura fugit, & uoluptatem sequitur maximè. Qui autem alteri alteris probati sunt, nec coniunctione uitæ sociati, beneuolis sunt quàm amicis similiores. Nihil est enim tam amicorũ proprium, quàm uitæ societas & communio. Præsidia enim & adiumenta inopes desiderant, societatem uitæ etiam beati, quandoquidem eos solos esse minimè conuenit. At coniunctio uitæ esse inter eos non potest, qui nec iucũdi sint, ne

que ijſdem rebus moueantur: quod ſodalitas uidetur maximè cõtinere. Ergo amicitia uidetur ea maximè, quæ inter bonos eſt. Amandum eſt enim & ſequendum quòd abſolutè ac propter ſe bonũ eſt, uel iucundum. Id autem cuiq; bono eſt, quod ſibi quiſq; utile arbitratur. At probus probo amicus eſt, utriuſq; cauſa. Sed amor perturbationi ſimilis eſt, habitui amicitia, quoniã amor nõ minus ijs quæ inanimata ſunt tribuitur, & redamant animi iudicio, quod ab habitu proficiſcitur. Bonisq; affici uolunt quos diligũt illorũ cauſa, nõ repentino aliquo quaſi motu incitati, ſed animi iudicio atq; ratione. E quibus amici chari ſunt, ij ſua ipſorũ bona diligunt. Cũ enim uir bonus, amicus paratus eſt, tum in bonis eius cui eſt amicus ducitur. Quo circa uterq; ſuas opes diligit, uiciſſimq; reddit parẽ animi, uoluntatẽ et iucunditatẽ, quãdoquidem amicitia quædam æqualitas dicitur. Hæc igitur in amicitia
6 ea quæ in bonis eſt, inſunt maximè. Inter ſeueros autem et ſenes, eo rarius amicitia eſt, quo moroſiores ſunt et difficiliores, minusq; delectãtur ſermonibus. Nam et amicitiæ propria ſunt hæc omnia, et eã contrahunt. Itaq; amicitiã cito adoleſcentes inſtituũt, ſenes nõ item. Neq; enim eos charos habent, quorũ conſuetudine minus delectantur. Itẽq; ne ſeueri quidẽ et triſtes.

triſtes. Et quanquã hi tales homines beneuolentia inter ſe coniunguntur, cum ſuos bonis uelint affici, & adiumenta præſidiaq; ſuis rebus duris petant: tamen non admodum amicitiæ præſidia quærunt, quod cum alijs uerſari nequeant, neq; ſe ultro & citro ullæ re oblectare. quæ ad amicitiã omnia maximè uidentur pertinere. Sed perfecta cum multis amicitia inſtitui non poteſt: ſicut fieri non poteſt, ut inſano amore unà multi colantur. Sint enim nimiæ illæ amicitiæ, ſed hoc tale cum uno natura uidetur intercedere. Eidemq; ſimul probari ac placere multos, nec facilè eſt, nec fortaſſe utile. Experiendum etiam eſt, & conſuetudo adiungenda, quod eſt omniũ difficillimum. Nam utilitatis cauſa & delectationis multis idẽ placere poteſt, quòd & huius generis ſit magna copia, et ad breue exiguumq; tempus durent obſequia. Horum autem duorum generũ magis illa nomen uidetur obtinere amicitiæ, quæ delectatione & iucunditate uitæ dirigitur: cum in hoc genere eadem efficiant utrique, & ſe alter alterum oblectent, & ijſdem rebus moueantur, quales ſunt adoleſcentum amicitiæ, in quibus magis uiget liberalitas. At uerò quæ emolumentis, utilitatibus, & fructibus colitur amicitia, illorum eſt hominum propria qui in foro iudicijſq; uerſantur.

Et beati quidem utilitates & èmolumenta non desiderant, iucunditatem delectationem que desiderant. Viuere enim cum aliquibus cupiunt, & molestias ferunt illi quidem ad tempus: perpetuò tamen ne suas quidem opes, si molestiam afferant, quisquam perferre posßit. Itaque amicos suaues deligunt, quos quidem par est probos esse. Sic enim eis ea suppetent omnia, quæ amicis adesse debent. Qui uerò sunt aliquo imperio præditi, ij amicis distinctis ac disparibus utuntur. Ex alijs enim utilitates percipiunt, alios habent ministros libidinum: quæ duo non ferè in eodem reperiuntur. Neque enim aut eos eligunt, qui uirtute quasi sale sermonis iucunditatem condiant, aut eos qui sint ad res honestas utiles: sed facetos, qui delectandi studio teneantur, et qui posßint imperata exequi. At qui non solent admodum hæc in eodem inesse. Dictum est, uirum bonum eundem utilem & iucundum esse. qualis amicus non est superiori, nisi etiam uirtute superetur. Sin minus, non est par inferior proportione. Cuius generis non admodum multi solent existere. Ergo in æqualitate ac parilitate hæ de quibus dixi, amicitiæ cernuntur, quoniam eadem ab utrisq; exstant in alterum. & sibi ea uicißim optant, aut aliud cum alio, ut dixi, ut uoluptatem utilitate commutant.

Hoc

Hoc etiam dixi, eas non esse æquè amicitias, nec diu permanere. Atq; etiã uidentur ex similitudine & dissimilitudine eiusdem & esse amicitiæ, & non esse. Nam amicitiæ uidentur, si cum ea conferantur, quæ uirtute dirigitur. Cum enim iucunditas in illa, in hac insit utilitas, hæc insũt in hac omnia. Quia uerò hæc criminationibus caret, stabilisq; ac firma est, illæ autem decidunt celeriter, alijsque multis differunt, non uidentur amicitiæ propter dissimilitudinem. Atq; 6 etiam aliud genus est amicitiæ, quod in excellentia et præstantia cernitur, qualis est patri cum liberis, seni cum adolescente, uiro cum uxore, et principi cum eis quibus præsit. Sed hæ inter se differunt. Non enim eadem est parentibus cum liberis, & ijs qui præsunt alijs cum ijs qui eorum in imperio erunt: nec patri quidem eadem est cum filio, & filio cum patre: nec eadẽ uiro cum uxore, uxoriq; cum uiro. Nam cum alia uirtus aliudq; officium horum unicuique sit attributum, diuersæ autem & uariæ sint causæ diligẽdi: fit, ut alia atque alia intercedat amicitia & charitas. Nec eadem quidem utriq; ab altero officia tribuũtur, nec id quidem æquum sit, uel postulandum est. Cum uerò ea tribuunt liberi parentibus quæ debent procreatoribus, parentes uicissim liberis quæ ex se natis debent:

tum ibi ſtabilis quædam & honeſta amicitia exoriatur neceſſe eſt. Qua etiã ratione in cæteris amicitijs quæ in excellentia ſunt, amor debet exiſtere, uelut maior ei charitas debetur qui præſtantior eſt, quàm ipſe alteri debeat, & ei ex quo maiores utilitates fructusq; capiantur, itemq; cæteris omnibus. Cum enim amor pro dignitate exoritur, tum exiſtit quodam modo par ratio, in qua amicitia conſiſtit. Sed non eodem modo in iuſtitia et amicitia par ratio æqualitasq; cernitur. Eſt enim in iuſtitia primo loco eius quod pro dignitate cuiq; tribuitur, habenda ratio: ſecundo eius, quantũ quisq; auferre debeat. At in amicitia contrà, primum id conſiderandum eſt, quantum cuiq; debeatur: deinde, quid tribuendum ſit cuiq; pro dignitate. Quod ex eo perſpici poteſt, quia ſi magna ſit inter amicos uirtutis, uel uitij, uel facultatum, uel aliarum rerum diſtantia, non iam in amicitia permanent, nec dignos quidẽ ſe iudicant. Quod in Dijs eſt multo etiam euidentius, ex eo q, omnibus bonis longe ac multũ ſuperent. Id quod etiã in regibus cernere licet, quorũ amicitia multo his inferiores homines ſe indignos putant. Et nequã homines ſe indignos cẽſent, qui optimis uiris atq; ſapientiſſimis ſint amici. Ergo incertum eſt quatenus hi permaneant in amicitia: cum ſi multa eximan-

eximantur, etiam maneant: sin magna sit distantia, ut Dei, non iam manet amicitia. Ex quo existit quæstio, num aliquando uelint amicos bonis quàm maximis afficiat, ut deos esse. Neq; enim iam amici futuri sunt. nõ igitur erunt in bonis. nam in bonis amicorũ amici numerantur. Quod si præclarè illud dictum est, suum quemq; amicũ bonis affici uelle illius causa, profectò permaneat ille in amicitia oporteat, qualiscunq; hic sit futurus. Homini autem maxima bona ille quidẽ optabit, sed non omnia profectò. Se enim quisq; maximè diligit. Sed pleriq; uidentur diligi malle quàm diligere, propter ambitionem. Itaq; multi amici, assentatores reperiuntur. Est enim amicus nimius assentator omnis, aut certè se eum uult uideri, qui diligere quàm diligi malit. Hoc autem ipsum diligi, haud procul abest ab honore, cuius cupiditate multi inflammantur. Neque uerò honorem propter se expetunt, sed temere & casu. Plerique enim ex eo uoluptatem percipiunt, si à uiris qui imperio præditi sunt, honore afficiantur: quòd sperant, si qua re egeant, fore ut ab ijs consequantur. Atqui quasi testimonio beneficij honore capiuntur. Alij cum à probis & notis honorem sibi tribui cupiant, illorum de se confirmare uolunt opinionẽ. Gaudent igitur se probos esse, 7

illorum

illorum quidem iudicio, quod approbant. Sed per se gaudent se charos esse, quod melius est, quàm honore affici. Et per se expetenda amicitia est, quæ magis in eo est, ut colas, quàm ut colare. Quod ipsum matres declarant, ex eo quòd quæ diligant, magnam capiunt uoluptatem. Quædam enim dant nutriendos liberos, eosq; ultro ac sponte diligunt, nec ab ijs uicissitudinem amoris postulant, si fieri utrunq; non possit. satisq; sibi fieri putant, si præclarè cum illis agatur. Quinetiam eos diligunt, quamuis eis non possint per ignorationem tribuere quæ debent. Cumq; in eo magis cernatur amicitia, ut diligamus, ijq; homines laudentur, quibus chari sunt amici: fit ut amicorũ uis omnis sit in amore. Itaq; omnes qui hoc faciunt pro dignitate, firmi, stabiles, constantesq; sunt habendi, eorumq; firma & stabilis amicitia est. Isto etiam modo qui dispares sunt, quoniam exæquari possunt, facilè sunt amici futuri. æqualitas enim & similitudo quædam, amicitia est ac similitudo eorum maximè, qui uirtute ac moribus congruunt. Hi enim cum stabiles sint & constantes, libenter etiam unà manent atq; uersantur. nec aut flagitia desiderant, aut ministri eorum sunt: quinetiam ea arcent & reprimunt. Probos enim nec ipsos peccare decet, nec amicos sinere

uerè ut administri sint libidinis. At uerò in malis nihil firmum, nihil stabile est: quippe qui similes non permaneant. Ad tempus amicitias colunt, cum interim sua inter se alter alterum improbitate flagitijsq; oblectant. Illi autẽ qui utilitatibus amicitias dirigunt, quique suauitate, diutius colunt amicitias. Nam amici sunt tandiu, quandiu alter alteri utilitates oblectationesq; suppeditant. Ex contrarijs uerò eæ potius nomen amicitiæ obtinent, quæ utilitatis causa comparantur: ut egens locupleti, doctus insscio. Qua enim quisq; re eget, eam cum sibi dari uelit, aliam dat uicissim. Quod ad genus trahere ac transferre licet amatorem & eum qui amatur, & formosum & deformem. Quocirca ridiculi uidentur interim amatores, qui suo in suos amori illorum erga se amorem æquum censent pariter æqualiterq; respondere. Si quidem digni amore sunt, fortasis æque postulandũ est: sin nihil tale habeant, sit ridiculum. Nec contraria quidem certè contraria suapte natura sibi expetunt, sed fortuitò & casu. estq; appetitio mediocritatis, quod bonum dicitur: uelut ei rei quæ sicca est, non optabile est nec utile, humidam fieri, sed ad mediocritatẽ peruenire. itemq; rei calidæ, ac cæteris. Sed hæc quidẽ, quoniam non sunt huius disputationis, missa faciamus.

9 mus. In ijſdem rebus, ut initiò dixi, uerſari amicitia & iuſtitia uidentur, quippe cum ius in omni ſocietate et amicitia cernantur. Itaq; amicos appellãt eos, quibuſcum unà & nauigant & militant. itemq; eos, quibuſcum quampiam ineunt ſocietatem. quandiuq; homines inter ſe communione aliqua conſociati ſunt, tandiu, quoniam iuris etiam communio, amicitia permanet. Et prouerbium illud rectè, Amicorũ bona cõmunia, quandoquidem amicitia in ſocietate conſiſtit. Sunt autem fratrum & ſociorum omnia communia, certa reliquorum. maioresq; ſunt horum copiæ, illorũ minores, quoniam amicitiæ aliæ grauiores & ſanctiores ſunt, leuiores infirmioresq; aliæ. Sed iura inter ſe diſcrepant. Neq; enim eadem intercedunt cum liberis, neq; fratribus inter ipſos, nec ſocijs, nec ciuibus. Similiterque in alijs amicis. Alia igitur atq; alia iura ſunt & officia, aliæ atq; aliæ iniuriæ his omnibus inter ipſos, acceßioneq; ac creſcendo ualent, ſi maiora extent in amicos. Vt ſocio grauius eſt adimere pecuniam quàm ciui: & fratri non opitulari, quàm extero: & patrem uerberare, quàm quemuis alium. Ius autem unà cum amicitia augeri ſolet, quippe cum & ijſdem in rebus ſint, & æquè pateant. Partibus etiam Reipub. ſunt ſimiles ſocietates. Conueniunt enim

unum

unum in locum homines emolumenti alicuius causa, & ut omnia suppeditent, quæ ad uitæ usum cultumq; pertinent. Societas autem ciuilis iam ab initio constituta est. Hoc enim legislatores inuestigant, qui id demum ius esse fatentur, quod publice prodest. Ac cæteræ quidem societates sibi quasi finem propositam habent aliquam ex parte utilitatem, ut nautæ eam quæ nauigationi proposita est, ad facultatem uel pecuniarum uel alicuius rei generis eiusdem, et commilitones eam quam spectat res bellica, siue pecuniarũ, siue victoriæ, siue urbis cupiditate ducantur. Itemq; tribules & populares. Quanquam nonnullæ societates uoluptatis causa constitui solent, ut eorum qui choros ducunt, & eorum qui pecunias in conuiuia conferunt, quæ sacrificij causa & conuentus fieri solent, quæ que omnes ciuili subiectæ uidentur. Non enim ciuilis consociatio eius quod in præsens prodest, sed quod in omnem uitam, cupiditate ducitur. Qui autem sacra faciunt, atq; in ijs cõuentus: ij cum Dijs honorem tribuunt, tum sibi ipsi cessationẽ suauem & iucundam comparant. Constat enim sacra et conuentus olim fieri solitos, posteaquam fruges perceptæ erant, ut primitiæ, quòd id maximè temporis cessarent. Hoc igitur apparet, omnes societates

partes

partes esse ciuilis, cuius generis societates etiam amicitiæ eiusdem generis consequuntur. Rei autem publicæ tria sunt genera, totidemq; ab illis defectiones, quasi earum euersiones. Sunt autem Resp. regia potestas, & ea quæ est in potestate optimorum, & tertia ea quæ ex censu nominata est, quam aptè Censuum potestatem appellari licet: quam eandem pleriq; Rempub. solent dicere. Harum autem omnium optima est Regia, deterrima Timocratia. Defectio à regia tyrannis dicitur. utriq; enim unus præest, sed tamen inter eas permultũ interest. Tyrannus enim suis, rex eorum quibus præest, solet commodis utilitatiq; seruire. Neq; enim rex habendus est is, qui se ipse non est contentus, quiq; copijs adiumentisque omnibus minus excellit. Qui autem eiusmodi sit, is cum nullo egebit, tum rationem nullam ducet commodorum suorum, sed eorum qui ipsius in imperio erunt. Nam qui se eum non præstat, eum sorte delectũ quendam potius quàm regẽ licet dicere. At tyrannis huic aduersaria est, siquidem sibi suisq; rationibus consulit. Quo magis perspicuum est, eam esse deterrimam. Quod enim rei optimæ contrarium est, idem pessimũ & flagitiosissimum. Ex regali autem potestate in tyrannidem Resp. delabitur. Est enim corruptela singularis

laris principatus tyrannis: et rex si uitiosus sit, tyrannus efficitur. Ex eo autem statu Reip. qui est in potestate optimorum, in eum fit mutatio, in quo pauci præsunt. idq; culpa & uitio principum, qui res ciuitatis non diuidunt pro dignitate, sibiq; uel omnia uel maxima cõmoda sumunt, & magistratus semper ad eosdẽ deferunt, quòd plurimi faciant diuitias. Ita pro optimis pauci, iijq; uitiosi imperant. Quæ autem ex censu potestas nominata est, in popularem uertitur. Sunt enim hæ finitimæ, quod & censu potestas est in multitudine, & ij æquo iure uiuunt, qui censi sunt. Sed quoniam popularis potestas paulum à statu Reip. discedit, minime uitiosa est. Ac Reipub. quidem status hoc ferè pacto labefactari mutariq; solent, quòd ita & paulum admodum, & facillimè mutentur. Earum autem similitudines & quasi exempla licet in familijs cernere. Nam quæ patri est cum liberis societas, regalis potestatis formam obtinet. Patri enim curæ sunt sui liberi. Hinc etiam Homerus Iouem patrem uocauit. Vult enim regiam potestatem esse patrium imperium, etsi in tyrannidem uersum sit apud Persas, qui pro seruis utuntur liberis suis. Est etiam domini in seruos tyrannicum imperium, quippe in quo domini cõmoda agantur. Atq; hoc quidem ius rectũ est, Per

ſicum à recta uia deflexit. Diſpares enim diſparia imperia ſequũtur. Viro aũt cum uxore ius id intercedit, quod eſt in optimorũ poteſtate. Nã pro dignitate uir ijs in rebus imperat, quæ dignæ ſunt uiro: quæ autem fœminã decẽt, eas ei tribuit. Quòd ſi in omnibus præſit uir ac dominetur, in poteſtatem populare fit mutatio, quoniã contra decorũ facit, non quia eſt præſtãtior. Interdum etiã mulieres præſunt, cũ amplum patrimoniũ conſecutæ ſunt. Nõ igitur tũ imperia uirtuti deferuntur, ſed diuitijs et facultatib. quẽadmodũ in poteſtate populari. At cenſu poteſtati pariter reſpondet quæ fratrib. inter ipſos cõiunctio eſt. Sunt enim pares, niſi ſint diſpari ætate. Itaq; ſi magna ſit ætatis diſtantia, nõ iam amicitia fraterna cõſtituitur. Sed in ijs maximè familijs uiget popularis poteſtas, quæ domino carẽt, quòd ibi omnes pares ſint: et in quib. eſt
11 princeps imbecillus, et licẽtia conceſſa omnibus. In unoquoq; autẽ Reip. genere, tandiu amicitia manere uidetur, quandiu ius et officiũ permanet. Regis quidem cum ijs quib. præeſt, amicitia, in excellentia quadam beneficij cernitur. Bene enim de ſuis meretur. Si quidem bonus ſit, eò omnia referet, ut ſint quàm beatiſſimi, quemadmodum paſtori oues curæ eſſe ſolent. Vnde Agamemnonem Homerus paſtorem populo-

rum

rum uocauit. Quo etiam in genere patrium est imperium, sed magnitudine beneficiorum præstat. Pater enim is est, qui quod omnium maximum est procreauit, is qui aluit, is qui erudiuit, quæ eadem tribuuntur etiam maioribus. Natura enim præest & pater liberis, & aui nepotibus, & rex ijs qui in eius sunt imperio. Hæ autem amicitiæ in excellentia quadam præstantiaque cernuntur. Itaque honos tribuitur parentibus. Nec uero eadem ijs officia & iura tribuuntur, sed pro dignitate, præsertim cum hoc etiam modo amicitia iudicetur. Eadem autem amicitia est uiro cum uxore, quæ in potestate optimorum. Virtuti enim hoc consentaneum est, ut & optimo cuique semper maxima quæque commoda, & cuique pro dignitate tribuantur. Quæ eadem est iustitiæ ratio et sententia. At uerò fratribus inter ipsos amicitia similis est sociorũ amicitiæ. Sunt enim pares et æquales, cuiusmodi quidẽ in hominibus ijdem ferè mores sunt, eadẽ studia, eædẽ uoluntates. Huic etiã finitima ea est, quæ uiget in cẽsus potestate. pars enim ciues uolunt esse ac probi, uicissimq; imperare, & id æqualiter: quod idem in amicitia ualet plurimum. Sed in euersionibus Rerũpub. ut officia & iura ad breue exiguumq; tempus durãt, sic etiã amicitia, et pessimæ

quæq; ad breuissimum durat. In tyrannorum enim uita aut nullus aut certè perexiguus locus est amicitiæ. Nam quibus hominibus nulla societas est inter ipsos, nullaq; cõmunio, principi cũ eo cui præest, in ijs nulla est inter eos amicitia, quando ne ius quidẽ, nisi forte quale est artifici cum instrumento, & animo cum corpore, et hero cum famulo. Ab his enim percipiunt utilitates ij qui utuntur, & amicitia nulla est, nec ius ullum cum mutis rebus, nec cũ equo quidem et boue, nec cũ seruo quia seruus est. Nulla est enim societas nobis cum illo, cum præsertim seruus instrumentũ sit loquens, et seruus mutus instrumentũ. Quia ergo seruus est, nulla est nobis cum eo amicitia, sed quia homo. Sic enim nati uidemur, ut inter omnes esset societas quædam, inter quos posśit esse legis conuentorũq; communio. ita etiã amicitia, quia homo est. In tyrannide autem ad perbreue tempus manet amicitiæ iuris q; cõmunio. at in populari potestate diutius. Multa enim sunt æquo iure utentibus hominibus inter se cõ
12 munia. In societate ac cõmunione, ut diximus, omnis amicitia consistit. Sed hinc eam quæ inter sanguine coniunctos & socios intercedit, licet excludere. Quæ autẽ ciuibus, tribubus, et hominibus unà nauigantibus inter ipsos est amicitia, quæq; sunt eius generis:

ris: eæ societatib. sunt cõmunitatib. q; similiorẽs, quip pe quæ stipulatione quadã constare uideãtur. quibus etiã hospitalẽ ascribere licet. Gradus aũt plures sunt coniunctionis sanguinis, qui à patria omnes profecti sunt. Nam et parentes ex se natos diligunt, quod sint quiddã ipsorũ: et nati parentes, quod ab illis orti sint. Atqui magis norũt parentes quos procrearunt, quàm nati se ab illis procreatos: coniunctius q; est et copulatius ei quod procreatũ est, id omne qđ ipsum generauit, q̃ quod generatum est ei quod procreauit. Quicquid enim id est quod ab alio profectũ sit, ei coniunctũ est, unde fluxerit. ut dẽs et pilus, et quiduis aliud ei qui habet. Illorum nihil ei unde ortũ est, aut certè minus, id q; progressu temporis. Nam & parentibus liberi simul ac orti sunt, chari solent esse, et liberis parentes progredientibus ætatibus cum dispicere et sentire cœperunt. Ex quibus perspicuũ est, quid sit cur maior sit sensus amoris in matribus. Nam æquè parẽtibus uita liberorũ chara est, atq; sua. Nam cum sint orti ex ijs, quasi alteri ijdem sunt, propter seiunctionem. Et natis quidem parentes chari sunt, quod ab illis natura sint procreati. Fratres aũt idcirco inter se diligunt, quod ex ijsdem orti sunt parentibus. Quæ enim ipsis cum illis est contunctio, idem inter illos ef

ficit. Itaq; eundē ſanguinem prædicant, eandemq; ſtir
pem & ſobolem, cæteraq; generis eiuſdem. Sunt igi-
tur in diuiſis ſeiunctisq; rebus, ijdem quodam modo.
Magnum eſt enim, una educatos, et æquales eſſe, quo
niam et æqualis æqualem delectat, et ſocij ſunt qui ſi
miles ſunt moribus. Quocirca ſociorū amicitiæ fra-
terna ſimilis eſt. Atq; etiam patrueles reliquiq; cogna
ti et propinqui ob eam cauſam coniuncti inter ſe co-
pulatiq; ſunt, quod ex ijſdem nati ſint. Alijq; eorum
cōiunctiores ſunt, alieniores alij, quòd uel propius pa
rentem & auctorem attingant, uel ab eo abſint lon-
gius. Quæ autem eſt & natis cum parentibus amici-
tia, et hominibus cum Dijs, ea conſtituta eſt tanquam
cum bono atq; præſtanti. Optimè enim de nobis meri
ti ſunt, præſertim cū et procrearint nos & aluerint,
et erudierint procreatos. Accedat huc ſuauitas quæ-
dam maior oportet ac utilitas, quàm in alienorum ami
citia, quo uitæ eſt inter eos arctior communio. In ſunt
etiā in fraterna amicitia ea omnia, quæ in ſociorum,
ac multo etiā magis in probis omnino & ſimilib. quo
coniunctiores ſunt, arctiusq; ſe inter ſe ab ineunte
ætate diligunt, quoq; ſunt ſimiliores moribus ij qui ab
eiſdem procreati ſunt, una educati, eadem diſciplina
eruditi et inſtituti. Huc etiā accedit comprobatio diu

turna,

turna, maximũ et arctißimum uinculum. Eadem ratione ea omnia sunt in reliquis cognatis, quæ ad amicitiam pertinent. Sed inter uirũ et uxorem, natura peperisse amicitiã uidetur. Est enim homo ad coniugiũ natus magis q̃ ad ciuilem societatẽ: quo prior est domus magisq; necessaria, quàm ciuitas: & quo est animantibus procreatio communior. Ac bestiæ quidem hoc unũ spectant & sequuntur: homines autem non procreandi modo causa unam in domum conueniunt, sed eorum etiã parandorum quæ ad usum uitæ pertinent. Statim enim dispertita sunt officia, suntq; alia uiri, alia uxoris propria. Prosunt igitur uterq; alteri, sua in commune conferentes, ob eamq; causam suauitas in hac tali uita inest utilitasq; maxima. Qui si probitatem ad eam attulerint, uirtute constituta uideri poterit. Est enim utriusq; uirtus propria, qua se oblectare possint. Et quoniam nati liberi uinculum quoddam uidentur, idcirco qui orbati sunt, facilius dissociãtur. Nam & liberi commune utriusq; bonum est, et quod commune est aliquorum, omne eos coniungit & continet. Quam autem uitæ degendæ rationem uir et uxor unà sequi debeant, & amici omnino hoc quærere nihil aliud est, quàm quemadmodum officia tueri debeant. Neq; enim idem homini est cum amico &

13 extero, et ſocio et condiſcipulo. Cum autem tria, ut dixi, genera amicitiæ ſint, & in unoquoq; genere alij amici pares ſint, alij ſuperiores (nam et boni inter ſe amici ſunt, præſtantior deteriori, itemq; ſuaues & utiles æquitatis emolumentis & præſtantibus) illi quidem pares eſſe debent in amore, cæterisq; rebus: qui non ſunt inferiores, ijs proportione præſtantiæ tribuendum eſt. Exiſtunt autem ſæpe criminationes & querelæ in amicitia, quæ ad fructũ referuntur, uel ſola, uel maximè, nec ſine cauſa. Quoniã enim ij, qui uirtutem in amicitijs cõciliandis ſequuntur, propenſi ſunt ad bene ultro et citro merendũ, quod uirtutis et amicitiæ eſt propriũ, eoq; certatim properãt: in ijs nec criminationes incidunt, nec pugnæ. Neq; enim eo quiſquã offenditur, cui charus ſit, quiq; de ſe bene meretur: quinetiã ſi gratus eſt, ei refert gratiã. Et qui cum fœnore conſecutus eſt qd̃ uolebat, is nunq; de amico conqueretur, cũ uterq; boni cupiditate ducatur. Ne in ijs quidẽ quæ ſuauitatis cauſa comparantur, incidunt. Si enim uita uictusq; cõmunis eos delectat, iam utriq; quod uolunt, aderit. Et ridiculus ſanè uideatur, ſi qs eũ accuſet, cuius cõſuetudine minus delectetur, cũ liceat ab eius abeſſe conſuetudine. At uerò plenæ ſunt obiurgationũ, plenæ querelarũ et criminationũ

cæ

eæ omnes quæ fructib. emolumentisq; dirigũtur. Nã qui spe mercedis, usu, et cõsuetudine implicati sunt, semper maiora desiderant: seq; minora habere putãt, quàm digni sint: queruntúrq; non tantas se opes, quã tas requirerent, esse consecutos. Qui autem benignè faciunt, non possunt tantis iuuare copijs, quantis illi indigent, qui accipiunt. Sed uidetur ut ius duplex est, alterum non scriptum, alterum scriptum: sic emolumentum quod ex rebus utilibus capitur, alterũ à more, alterum à lege proficisci. Oriuntur ergo querelæ tum maximè, cum eam utilitatem non percipiunt, propter quam rem contraxerant. At ea quidem utilitas quæ lege introducta est, certis uerbis cernitur, quæ partim sordida est, cum de manu in manum res traditur: partim ad tempus liberalior & honestior, sed pactione adhibita quid pro quo reddendum sit. Certum in hac est quid debeatur, non dubium, sed moram et cunctationem habet, amicitia dignissimam. Itaq; horum apud quosdam nulla sunt iudicia, sed sibi charos esse putant oportere eos, qui ex fide rem cum ipsis contraxerint. At uerò quæ moribus comparata non est, certa & solenni uerborum formula constat, sed tanquam amico dant beneficium, aut alij qualiscũque sit. Par autem aut plus eo exigit, quasi uerò non

dederit, sed fœneratus sit beneficium, nec item commutarit. Nec eadẽ erit eius qui contraxit rem, et eius qui dissoluit criminatio. Hoc ita fit propterea, quòd omnes uel certè complures honestarum rerum studio illi quidem trahuntur, sed tamen utilitatem & fructũ sequuntur: & quòd pulchrum est benefacere, non ut gratiam exigas, beneficijs autem affici utile et fructuosum. Referẽda est quidem par gratia si modo possis, idq; ultro. Neq; enim amicus quicquam inuitus facere debet, quasi uero iam inde ab initio peccarit, acceperitq; ab eo beneficium, unde minus debuit. Non enim ab amico acceperat, neque ab eo qui ob hanc causam contulerit. Vt igitur in rebus commutandis certa formula uerborum, eum par est qui beneficium accepit reddere, atq; polliceri si modo possit, se gratiam esse relaturum. Nam si minus possit, ne is quidem qui dedit, reposcat. Ergo si possis, reddendum beneficium est. Atque etiam in primis, quis beneficia dederit, & qua de causa, ponderandum est: ut etiam his de causis expectet ille, aut minus expectet. Sed hoc habet dubitationem, utrum referendæ gratiæ officium eius qui accepit emolumento & fructu ponderandum sit, an eius qui dedit beneficio. Nam cum beneficijs afficiuntur homines, extenuantes eiusmodi se à beneficis ac-

cis accepisse prædicant, quæ & illis exigua erant, & ab alijs accipere licebat. Illi contrà quæ & maxima deferre potuerint, & quanta ab alijs non potuissent accipere: idq; rebus eorum asperis, aut calamitatibus generis eiusdem. Vtrum igitur si amicitiam utilitas constituat, fructus quem ex beneficio tulit is cui delatum est, mensura sit, quæstio est. Hic enim indigebat, ei opitulatur alter, tanquã parem aliquando gratiam accepturus. Quoniam igitur tãto fuit præsidio, quanta in altero secuta est utilitas, tantum etiam reddendum est quantum acceperit, aut plus eo etiam, quoniam hoc multo est præclarius. In amicitijs autem quas uirtus contrahit, quoniam nullæ obiurgationes existunt, officium æstimandum est ex eius qui contulit animo & uoluntate. Virtutis enim & morum laus omnis in animi iudicio & uoluntate consistit.

Atque etiam in ijs amicitijs in quibus excellentiæ quædam sunt, querelæ incidunt. Nam cum uterque plus sibi tribui æquum censeat, hoc si fiat, amicitia dissoluitur. Qui namque melior est, is sibi maiora deberi existimat, quòd plus probo tribuendum sit. Eadem est eius qui maiorem utilitatem affert, ratio & sententia. Eum enim qui ad nullam partem sit utilis, paria emolumenta consequi negant oportere. 14

Famu-

Famulatum enim, non amicitiam esse, nisi pro dignitate officiorũ ea constabunt, quæ sunt amicitiæ propria. Putant enim ut in societate pecuniarum, sic in amicitia, plus accipere oportere eum, qui plus contulerit. At inops & deterior, contrà. Amici enim ueri & perfecti esse, subuenire egentibus. Quis enim fructus, inquiunt, quæ utilitas manet eum, qui probo aut potenti sit amicus, si quidem nihil sit consecuturus? At rectè quidem uterq; reposcere & exigere uidetur. Plusq; tribuendum utriq; est ex ijs rebus quæ uigent in amicitia: non idem quidem, sed superiori plus honoris, inopi plus emolumenti. Virtutis enim & beneficentiæ merces est gloria: inopiæ & indigentiæ præsidium, quæstus. Quæ etiam in rebus publicis similitudo perspicitur. Nec enim honos ei tribuitur, qui nihil confert in Rempub. studij, nihil operum, nihil facultatum. Quod enim commune est, datur ei qui Reipub. consulit. Atqui honos communis est, communis gloria. Non enim fieri potest, ut quis simul & à Repub. locupletetur, & gloriam consequatur. Quoniam enim nemo potest in omni negotio se premi, suasq; opes imminui sustinere: qui rei nummariæ iacturam fecerit, ei honorem tribuunt: qui muneribus non corrũpitur, pecunias. Quod enim cuiq; tribuitur pro digni-

dignitate, id excæquat, ut dixi, tueturq; amicitiam. Sic etiam cum ijs agendum est, qui non sunt pares. Et cui uel ad opes adiumentum allatum est, uel ad uirtutem, is honorem debet reddere, uicissimq; que id reddendum quod quisq; possit. Exigit enim & postulat amicitia, non quod cuiq; debetur, sed quid quisq; efficere potest. Neq; enim id possit fieri in omnibus, quod in ijs contingit societatibus, quæ nobis sunt cum dijs et parentibus. Nam & nemo est qui parem ijs gratiã referre possit, & tamen qui eos quocunq; officio, et obseruatione potest, colit, is uir bonus est habendus. Itaque filio non uidetur concessum, ut patrem exhæredet, patri licet liberos. Par est enim filium, qui obligatus est, beneficia reddere: qui si omnia efficiat, nullam tamen partem uideatur illius meritorum assecutus. Ita semper illius beneficijs obligatus est. Quibus autem quispiam debet, eum quoniam illi præterire possunt, & patri licebit. Sed nemo est omnino, qui filium uelit exhæredare, nisi qui insigni quadam improbitate sit præditus. Nam præter naturalem amicitiam, communis etiam humanitas impellit: ut ne omni præsidio desertũ eum esse patiamur. Qui si facinorosus sit, cauendũ est, aut non laborandũ certè, ut opitulemur. plerisq; enim beneficijs affici uolunt, ipsi cõferre ut rem inutilem, nolunt.

LIBER NONVS.

1 N omnibus autem amicitijs quæ nõ sunt eiusdem generis, comparatio et proportio, ut dictũ est, & exæquat amicitias, & conseruat. Quod in ciuili societate contingit, cum in sutorem pro calceis, & in textorem cæteros que omnes extat remuneratio pro dignitate. Atque huc quidem numus comparatus est, quasi rerum omniũ mensura communis, ut ad eum referantur, ex eóq; ponderẽtur omnia. Sed in amoribus interdum amator queritur, sibi in amore parem non esse eum, quem amet, cum in eo nihil fortasse dignum sit amicitia. Sæpe etiam amasius queritur de amatore, quòd cum prius promiserit omni, atamen nihil eorum quæ promisit exoluit omnino. Quod tum euenire solet maximè, cum ille libidinis causa amat & colit, hic utilitatem sequitur, nec utrique adsunt. Quoniam enim amicitia his de causis constituta erat, dissociatio & distractio sequitur, cum minus extãt ea à quibus causæ profectæ erant diligendi. Neque enim se inter se diligebant, sed quæ aderant & suppetebant. quæ quoniam infirma sunt nec stabilia, etiam amicitiæ sunt eiusmodi. At uerò amicitia, quam morum similitudo bonorum cõglutinauit,

tinauit, quoniam propter se est, permanet, ut dixi. Sed amici dissident inter se tum, cum alia atque optabant eis obueniunt. Nam simile esse aiunt ac si nihil fieret omnino, cum non quod uolunt consequuntur. Quod citharœdo cuidam contigit, cui cum quispiam pollicitus esset, quo melius caneret, eo se maiorem mercedem esse daturum, is que postridie exigeret mercedem: eum respondit cum uoluptate compensasse uoluptatem. Si hoc uterque uolebat, satis habuit: sin ille uoluptatem quam ceperit, petebat, ille quæstum aucupabatur quo caruit: non rectè, neque præclarè ad societatem accidit. Quo enim quisque eget, ad id etiam attentus est: quod ut assequatur, nihil est non daturus. Vtrum autem precium rei eius sit præscribere qui dat, an qui accipit, quæstio est. Qui enim dat, uidetur illi permittere. Quod aiunt Protagoram facere solitum, qui cum docuisset quidlibet, iubebat eum æstimare qui didicisset, quanti uideretur scientia, & tantundem ferebat. In quibusdam eius generis satis est uiro merces. Qui uerò primùm argentum acceperunt, deinde nihil præstant eorum quæ professi sunt, propter promissorum magnitudinem, iure sunt illi quidem uituperandi. Neque enim exoluunt, quod promiserunt. Quod certè coguntur

Sophi-

Sophistæ facere, quòd nemo sit qui quæ sciant illi, argento dignum existimet. Ac isti quidem, quoniã non perficiunt in quæ mercedem acceperunt, iure reprehenduntur. Inter quos autem nullum pactum mercedis interuenit, ij quoniam ultro dant, omni, ut dixi, reprehensione carent. Hanc enim talem amicitiam uirtus contraxit, in qua ex animo & uoluntate ponderanda remuneratio est. Ea enim est amici & uirtutis propria. Similis etiam eorum est ratio, inter quos Philosophiæ est societas & communio. Neq; enim aut rei tantæ dignitas pecunijs æstimatur, aut ullus honos tanti momenti & ponderis potest existere. Sed profecto ut erga deos, sic hic satis sit præstare quod quisq; efficere possit. Si uero non fuerit talis largitio, sed aliò referatur, ea sequi debet maximè quæ ex utri usq; dignitate uideatur. Quod si ita non fiat, non solum necesse est, uerùm etiam æquũ, eum qui rem tradat, precium præscribere. Etenim si quantam hic utilitatem quantumq; fructum ceperit, aut quantã uoluptatem secutus sit, parem ille uicissim consequatur, ab hoc preciũ obtinebit. Nam in rebus uenalibus hoc cernere licet. Et nonnullis in locis leges sunt, quæ iudicia uetant fieri, quòd eum deceat decidere cui habita sit fides, sicuti cum eo societas & ratio cõtracta est.

est. Cui enim res tradita sit atque permissa, eum iustius quàm qui permiserit, putat constituere posse. Nam per multas res non tantidem qui habent & ij qui sibi dari uolunt, æstimant. Sua enim cuiq;, & quæ quisq; dat, magni precij uidentur. attamen compensatio tanta sequi debet, quãtum ij qui acceperint, præscripserint. quanquam fortè non est tanti res æstimanda, quanti is qui tenet æstimat, sed quanti antè quàm occuparet, æstimabat. Hæc quoque dubi- 2
tationem afferunt, utrum patri omnia tribuenda sint officia, eiq; parendum sit in omnibus. Et utrum ægrotus medico debeat credere. Et num imperator deligendus sit is qui laude rei bellicæ ualeat plurimum. Item' que amico ne potius, an bono uiro subueniendum sit. Et utrum ei qui de nobis bene meritus est, referenda est gratia: an dandum beneficium socio, si utriq; non possit? Ac horum quidem omnium non est facilis explicatio, præsertim cum magnæ in ijs dissimilitudines ac differentiæ uersentur, & magnitudinis & exigui tatis & honestatis et necessitatis. Hoc tamen non est obscurum, non esse eidem officia tribuenda omnia. Potius enim referenda ferè quàm ineũda à socio gratia est. sicuti mutuum etiam reddendum est potius cui debetur, quàm sodali dandum beneficium. Quan-

quã hoc non ſemper ſit ſeruandum. Vt ſi quis redemptus ſit à prædonib. utrũ eum qui ſe liberarit uiciſſim redimere debeat qualiſcunq; ſit. aut ſi captus ille quidem non ſit, repetat autem aliquid, utrũ ei potius referenda ſit gratia, an uero redimendus pater, quæritur. Nam ſuus cuique pater potius ſit redimendus. Ergo, ut dixi, omnino debitum officium reddendum eſt. Quod ſi dandi ratio honeſti neceſſitatiśque ratione uincatur, eſt ad hæc ipſa declinãdum. Incidunt enim huiuſmodi tempora, cum beneficium quo prouocati ſumus, reddendum non eſt. ut ſi quis ſciens in bonum uirum beneficium contulerit, & in hunc quem improbum eſſe exiſtimet, extabit remuneratio. Neque enim ſemper ei commodandum eſt uiciſſim, qui commodarit. Nam & hic ſuam ob cauſam bono uiro commodauit, & ille nihil emolumenti ſe ab improbo ſperauit eſſe capturum. Ergo ſiue ita eſt, non eſt par dignitas: ſeu non eſt ita, ſed putant, nunquam abſurdum quicquam facere uidebuntur. Vt ergo ſæpe dixi, quæ de perturbationibus, actionibus & officijs habetur oratio, ijſdem finibus & terminis continetur, quibus eæ res in quibus uerſantur. Atque illud quidem perſpicuum eſt, non eadem omnibus officia tribuenda eſſe, nec patri quidem omnia,

omnia, quemadmodũ Ioui nõ fiunt ſacra omnia. Quo niam autem alia parentibus, alia fratribus, alia propin quis, alia beneficis tribuenda ſunt: ſuum cuiq; ac pro prium quodq; deceat tribuendũ eſt. Quod etiam face re uidentur. Nam inuitãt cognatos ad nuptias, quibus quoniã genus cõmune eſt, idcirco quæ genus attinẽt, ſunt illis inter ſe officia cõmunia. Ob eamq; cauſam cognatos & propinquos uenire putant oportere ad ſponſalia. Sed neceſſaria præſidia uitæ parentibus maximè debentur, quibus rebus procreatores iuua re pulchrius eſt quàm ſeipſum. Atque etiam ut Dijs, ſic ſuus honos tribuendus eſt parentibus: non om nis quidem, ſed patri is qui patrem, matri qui ma trem deceat. Omnis etiam ſeni honos tribuendus eſt, is, qui ætatem illam decet, aſſurgendo, decedendo de uia, alijśque generis eiuſdem. Cum ſodalibus & fratribus libertas, & rerum omnium communitas uigere debet. Cognatis etiam atque tribulibus, ciui bus item, reliquiśque omnibus enitendum eſt, ut ſu us cuique tribuatur. & quæ in quoque inſunt, ea ex illa quæ nobis cũ illis erit familiaritate, ex uirtute et uſu erũt iudicanda. Ac in ijs quidem quæ ſunt eiuſdẽ generis, facilius iudiciũ eſt: quæ aũt ſunt alterius, dif ficilius. Non tamen ob eam quidem cauſam deſiſten-

dum est, quin etiã quoad fieri poterit explicanda sunt
3 omnia. De dimittendis autem amicitijs hoc quæri solet, utrum discedendum sit ab amicis qui non sunt constantes neq; stabiles, an ne ab ijs qui amicitias utilitatibus & suauitate dirigunt. Cum hæc quidem nõ assequuntur, non est alienum dissoluere. Hæc enim amabant ipsa, quibus sublatis, illud consentaneum est, ut etiam amicitia tollatur. Licet etiã accusare, si quis utilitatem & suauitatem quærens diligat, se que in amicitia uirtutem simulet secutum. Nam, ut initio dixi, multa amicorum dissidia fiunt, cum nõ æquè ac putarant, sunt amici. Ac tum quidem, cum quispiam falsus est opinione, quòd alterum putaret ductum uirtute se diligere, nec is quicquam tale faciat: se ipse accusare debet. Sin autem ab illius simulatione falsus est, par est accusari eum qui fraude egerit, uel multo etiam magis quàm eos qui numos adulterant, quo in re præstantiore calliditas consumitur. Sed si tanquam probum uirum receperit aliquis, malus autem factus est, aut etiam uidetur: etiam ne diligendus sit, quæritur, an hoc fieri nullo pacto potest? Siquidem non sunt amore digna omnia, sed bona sola. Et improbus diligendus est nullus, neque æquum sit. Non enim uel amare improbos quisquam debet, uel par esse ac

se ac similis malorum. Atqui pares, ut dixi, cum paribus instituunt amicitiam. Sed utrum repente præcidendæ sint amicitiæ, an non cum omnibus, sed cum ijs quorum uitijs remedium nullum inueniri potest? Iis autem qui sanari possunt, eo magis quoddam adiumentum afferendum est ad mores, quàm ad opes, quòd melius est, & amicitia dignius. Quanquam alienum nihil qui discesserit facere uidetur, quippe cum non huic, aut certè tali foret amicus. Quoniam igitur ad meliorem mentem reuocare non potest, ab eius se remouet amicitia. Sin hic permanet, ille autem melior est, præstatq; uirtute: utrũ eo amico uti debeat, an fieri non possit, quæstio est. Hoc perspicuũ est in magna distantia, ut in ijs amicitijs quæ ab ineunte ætate contractæ sunt. Etenim si ille in puerili animo & sententia permaneat, hic autem uir sit optimus: qui fieri potest ut inter se diligant, cum nec moueantur ijsdem rebus, nec offendantur? Neque enim hæc sunt inter eos mutua, sine quibus amici esse nullo modo possunt: quandoquidem uita uictusq; que communis non potest inter eos intercedere. Sed de his iam diximus. Vtrum uerò nihilo erga eum alieniore animo esse debet, quàm si nunquã amicitia intercessisset: an prioris consuetudinis ualere debet recordatio? Vt e-

nim amicis potius gratificari putamus oportere quàm exteris, sic ueteri amicitiæ aliquid tribuendum est, nisi propter singularem quandam improbitatem facta sit distractio. 4 Ea autem, quæ amicitiam conciliant amicis inter ipsos, quibus´que amicitiæ fines & termini constituti sunt, ab ijs profecta uidentur, quæ sibi quemque conciliant atque commendant. Ponunt enim amicum eum, qui uelit seruire, ac seruiat commodis amici, aut quæ uideantur, illius causa: aut qui uelit saluum & incolumem amicum, eum´que manere in uita ipsius causa. Quo sunt animo matres in liberos, ij´que amici qui temeritate ducti sunt ad amandum. Alij amicum eum statuunt, qui uita uictu´que communi cum amico coniunctus est, qui´que eadem studia sequatur. aut eum, qui & rebus aduersis amici doleat, & gaudeat secundis. Quod idem in matribus contingit maximè. Eorũ etiam in aliquo amicitiam ponunt. Sed hæc quidem omnia uirum bonum sibi conciliant: cæteros autem, quia bonos se existimant. Est enim & uirtus & uir bonus, mensura, ut dixi, rerum omnium. Nam & sibi ipse constat, & ijsdem rebus mouetur per omne tempus ætatis. Est´que is qui se ijs quæ uerè bona sunt, quæ´que uidentur, uelit affici, quæ eadem

dem efficit. Est enim boni uiri, quod bonum sit gerere, atque suam ob causam. siquidem mentis gratia, quod quidem unusquisque uidetur esse. Atque etiam manere uult in uita, ac saluus esse. id' que facit ob id maximè, quia sit sapiens. Bono enim uiro status bonus honestus' que est. Et se quisque bonis uult affici. Quod si alij fierent omnes atque sunt, nemo esset homo qui bona esse omnia in eo uellet, in quod uersus esset. Est enim etiam in Deo bonũ hoc tempore, sed quod idem ipse est quale id cunque sit. Ac mens sua quisq; est, uel maximè. Cumq; sit eiusmodi secum ipse uult uiuere, idq; facit libenter. Vt enim lætamur ijs bonis quæ recordamur, sic ijs erigimur quæ expectamus. Habent enim hæc oblectationem, atq; etiã eius animus abundat præceptorũ copia. Et quoniã ijsdem rebus semper mouetur, et offenditur, et nõ alijs aliàs, fit ut doleat gaudeatq; reb. suis unà secũ optimè. Is enim est quẽ nullius omnino rei possit pœnitere. qd' ita uir bonus in se animatus sit. In amicũ etiã, quemadmodũ in se est animatus. Est enim is amicus qdem, qui est tanq; alter idẽ, et in eorũ uidetur aliquo amicitia cõsistere. et in quib. eadẽ insunt studia, eædẽ uoluntates, ij amici nominãtur. Vtrũ autem secũ cuiq; sit amicitia nec ne sit, omittamus hoc quidem tempore quærere.

Tandiu autem amicitia manet, quandiu eorum quæ dixi, aut duo adsunt, aut etiam plura. nimia etiam amicitia uidetur ea quæ secum cuique est. Sed tamen constat, quæ dicta sunt, adesse permultis, etiam improbis. Num ergo eorum participes sunt, quia se ipsi oblectant, seq́ue bonos putant? Hæc enim omnia eorũ insunt nemini, qui admodũ nefarij sunt, nec uidentur quidem nec ferè ulli malorũ. A' se enim dissident ipsi, secumq; discordant. et alia uolunt, alia sequũtur, ritu impotentũ. Quæ enim sibi ipsi bona esse statuerunt, ijs ea omnia anteponunt, quæ iucunda sunt & molesta. Alij rursus propter ignauiam, ab ijs rebus gerendis recedunt, quas ipsi sibi bonas esse decernunt. Qui uerò multa & grauia scelera admiserunt, improbitate uicti, & se oderunt ipsi, & uitam fugiunt, mortemq; sibi ipsi consciscunt. Improbi etiam alios quibus cũ uersentur requirunt, se fugiunt ipsi. Multa enim et grauia facinora recordãtur, quæ et alia eiusdẽ generis, cum soli sunt expectãt: cũ sunt cum alijs, obliuione obruũt. Et quoniã in ijs nulla est causa cur diligantur, nulla est etiã in eis ratio diligendi sui. Nec igitur ipsi soli lætari possunt, nec dolere. Eorum enim animus à se ipse dissidet, secum' que discordat, aliasq; agitatus pœna scelerum, se dolet à quibusdam rebus abstinuisse,

abstinuisse, aliàs gaudet. atq; pars altera huc trahit, illuc altera, ut solent partes dissoluti corporis. Qui si & dolere simul non posßit & lætari, at paulo post certè & se molestè fert ex rebus aliquibus uoluptatẽ cepisse, & sibi eas uellet non fuisse uoluptati. Est enim uita malorum plena pœnitentiæ. Non igitur in se amicè animati sunt improbi, quòd in eis dignum nihil sit amicitia. Quòd si ita affectum esse animo ualde miserum est, fugienda improbitas est, dandáq; opera ut boni simus. Sic enim & in nos ipsi amico animo affecti, & alijs sumus amici futuri. Beneuolentia autem quanquam uidetur, tamen non est idem quod amicitia. Nam beneuolentia etiam cum ijs coniuncti sumus, quos ignoramus: eademq; occulta est, amicitia non est. Quod etiam suprà attigimus. Nec amor quidem est, præsertim cum nec sit desiderij nec cupiditatis particeps, quæ amorem consequuntur. Præterea consuetudine amor suscipitur, beneuolentia etiã cito, quod in certantibus contingit. Eos enim quodammodo spectatores diligunt, & in eis est eadem uoluntas, cum interim nullis officijs nullisq; actionibus coniungi queant. Nam & repente, ut dixi, beneuolentia cõiunguntur, & leuiter diligunt. Atq; etiam uidetur ut amatoriarum leuitatum, sic amicitiæ prin-

cipium ab ea ductum esse uoluptate, quæ ex sensu oculorum aspectuq; capitur. Etenim nemo quenquam insanè amat, nisi forma capiatur. Et qui forma capitur, non continuo diligit, sed tum denique cum & absentis desiderio tenetur, & præsentem concupiscit. Sic inter nullos amicitia esse potest, nisi antè coniuncti sint beneuolentia. At qui beneuolentia coniuncti sunt cum quopiã, non ij continuo etiam diligunt. Eos enim duntaxat uolunt bonis affici, in quos bene animati sunt: nec ullis officijs coniungi uellent, nec ullã propter eos suscipere molestiam. Quocirca eam fontem amicitiæ licet dicere, quam tempore confirmatam cum auxit consuetudo, tum amicitia nascitur, nõ quæ utilitatis aut suauitatis causa fingitur. quandoquidem eorum causa nemo cum alio beneuolentia coniungitur. Nam qui beneficia accipit, si eum qui contulit, beneuolentia complectatur, is officio fungatur. At uero qui beneficia ponere uult apud quempiam, spe præsidij & auxilij adductus, non illi beneuolus, sed sibi potius uidetur. sicuti nec is amicus habendus, qui utilitatis causa colit & obseruat quempiam. Omnino autem uirtus & probitas beneuolentiam cõtrahit, si qua significatio honestatis, fortitudinis, aut alicuius eiusdem generis, eluceat. Quod etiã in cer-

in certantibus fieri solere diximus. Atque etiam 6
cõcordia ad amicitiam pertinere uidetur. Itaq; nõ est idem quod eadem sententia, quandoquidem in ijs etiam, quorum alter alteri ignotus sit, inesse potest. Nec concordes aiunt eos qui de quauis re idem sentiunt, ut eos qui de rebus cœlestibus: quippe cum idem & unum de ijs rebus sentire, non sit proprium amicitiæ. Sed ciuitates in concordia esse tum dicuntur, cum de commodis & utilitatibus, unum idemq; sentiunt, & decernunt, quod que publicè placuerit, exequuntur. Ergo in gerẽdis rebus ijs quæ graues ac magnæ sint, quæq; adesse possunt uel utrisq; uel omnibus, concordia consistit. Veluti ciuitates cõcordes sunt, cum placet omnibus magistratus deligendos esse, aut ineundam cum Lacedæmonijs societatem, aut Pittacum imperatorem esse, si etiam ipse uelit. At uerò cum se ipsum uterq;, ut fit apud Phœnissas, uoluerit deligi, tum seditio nascitur. Non enim unum idemq; intelligere duos quale id cunq; sit, unum & idem sentire est, sed idem in eodẽ. Vt cum populus & optimates optimos uolunt præesse Reipub. sic enim omnes quod uolunt consequuntur. Ciuium que inter ipsos amicitia, concordia uidetur, ut etiam celebratur. Est enim in commodis & utilitatibus, ijs que omnibus quæ ad uitæ

usum

usum pertinẽt: qualis bonis inter bonos cõcordia est. Ii enim ijsdem de rebus unum idemq; & ipsi secum et cum alijs sentiunt, præsertim cum eorum stent sententiæ, & uoluntates, non more Euripi refluant. Recta etiam & utilia sibi proponunt, quorum communiter cupiditate ducũtur. At uerò improbi unum atq; idem nisi ad breue & exiguũ tempus, sentire non possunt, sicuti etiam amici esse solent, cum in emolumẽtis sua augendi cupiditate inflammati sint, ijs autem in rebus quæ laborem sumptusq; desiderant, ab officio deficiant. Quæ quoniam sibi quisque exoptat, proximum quemq; obseruat & arcet. Euertetur enim funditus Resp. si à nemine conseruetur. Ex quo nascuntur seditiones, dum alteri alteris necessitatem afferunt, ipsi
7 fungi officio nolunt. Benefici autem uehementius eos diligunt in quos beneficia contulerunt, quàm ij qui acceperunt, eos qui dederunt. Quæ nobis cõtra opinionem incidit quæstio. Ac compluribus hoc ita uidetur, propterea quòd illi debent, his debetur. Vt igitur in commodato perijsse expetunt debitores, eos quorum æs contraxerunt, salus autem debitorum curæ est creditoribus: sic ij qui bene meriti sunt, eos saluos uolunt in quos liberales fuerunt, quòd gratiã beneficiumq; sint accepturi, illis curæ non est remuneratio.

ratio. Et Epicharmus quidem fortè hoc dicat, ad improbitatem eorum ſpectare orationem, quæ tamẽ humana eſt. Sunt enim pleriq; immemores beneficij, propenſioresq; ſunt ad accipiendum quàm ad bene merendum. Sed cauſa à natura potius profecta uidetur, quæ nihil ſimile habeat ei rei quam attuli de creditore. Non enim in illis amor ineſt, ſed uolunt ſaluos illos, ut ſuum recipiant. At ij qui bene meriti ſunt, eos diligunt apud quos beneficia collocarunt, etiam ſi in præſens nihil ex ijs emolumenti percipiant, nec ſint percepturi in poſterũ. Quod etiam in artificibus contingit. Omnibus enim ſua cuiq; chariora ſunt opera, quàm ſuis quiſq; operibus, quæ muta & inanimata ſunt. Sed neſcio quo pacto hoc in poëtis magis cernitur, quos ſua opera præter modum delectant, ea ut liberorum loco diligant. Huic eſt ſimilis cauſa beneficiorum. Nam qui beneficium accepit, opus eorũ eſt, quod eis charius eſt, quàm operi procreator & auctor. Hoc autem cauſæ eſt, quòd cum nobis ſuus cuique ſtatus optabilis ſit et charus, ſimusq; re ipſa (nam uiuendo & agendo) fit ut qui fecit opus, ſit actione quodam modo. Ergo opus diligit, quòd ſtatum ſuum. Atque hoc à natura ductum eſt. Quod enim eſſe poteſt, id, opus quod reipſa eſt indicat. Atq; etiam ei qui

beneſi-

beneficium contulit, pulchrũ honestumq; est id quod actioni congruit, ut id etiam in quo ipsum inest, delectet. At is qui beneficium accepit, nihil rei præclaræ in eo qui dedit esse existimat, præter fructũ & emolumentum. quod insuauius est, minusq; amabile. Habet autem eius quod præsens est actio, & rei futuræ expectatio, & præteritorum recordatio, oblectationem. Sed tamen eo quod præsens tanquam in manu datur, nihil iucundius est, nihil amabilius. Ac ei quidem qui bene meritus est, sui operis permanet stabilis certaq; possessio. Est enim firma, constans, stabilisque uirtus. Qui uero accipit, ei utilitas perit tota & decidit. Et benefactorum recordatio iucundissima est, utilitatum non ferè, aut minus certè. Contráque est in expectatione. Amor etiam actioni similis est, amari perpessioni. Qui autem in actione sunt occupati, eos necesse est diligere, eaq; sequi omnia, quæ ad amorem pertinent. Iam uerò ea sunt chariora omnibus quæ labore parta sunt. ut etia pecuniæ ijs chariores sunt qui quæsierunt, quàm qui acceperunt. Atqui accipere beneficium nullius negotij est, dare arduum ac difficile. Ob eãq; causam liberi chariores sunt matribus, quòd partus difficilior sit, maioriq; laboris indigeat, et quòd suos esse sciant certius. Quod idẽ beneficis

neficis propriũ uidetur. Sed utrũ se quisq; maximè 8
diligere debet, an aliũ aliquem, quæstio est. Culpãtur
enim qui se maximè diligunt, eosq; sui diligentes pro-
bri loco appellant. Ac mali quidẽ uidentur quæ faci-
unt, suam ob causam facere omnia, atq; eo magis quo
sunt sceleratiores: idq; illis uitio datur, quòd sibi tan-
tum cõsulant. Boni autẽ ob honestatẽ, eoq; magis quo
meliores sunt, ut suas res rationesq; prætermittant. A
qua oratione facta dissentiunt, nec sine causa. Aiunt
enim diligendũ eum maximè, qui sit maximus amicus.
Amicus autem maximus is est, qui uelit bonis affici q̃
maximis eum quem diligat, illius causa, etiam si ad se
ex his nihil redeat, quæ sibi quenq; conciliant, cæte-
raq; omnia quibus amicus definitur. Docuimus enim
principium ductum à se diligendi sui ad alios perueni
re. Atq; etiam eódem pertinent prouerbia, Vnus ani-
mus, Amicorum omnia communia, Amicitia æqua-
litas, Tibia genu propius. Quæ omnia in quoque in-
esse, ad seq; redire reperiuntur. Sibi enim quisq; cha-
rus est maximè. Se ergo quisque maximè diligere de-
bet. Iure autem hoc uenit in dubium, utris tandem 9
rationibus assentiendum sit, cum præsertim utræq;
sint probabiles. Constituendi ergo sunt in eius-
modi rationibus fines, & quasi termini ueritatis.

Quòd

Quòd si quem utræq; rationes sibi charum constituant, intelligamus, cito planum fiet. Qui ergo hoc ipsum uitio uertunt, diligentes sui appellant eos, qui penitus suas cogitationes & studia in pecunias, honores, corporis uoluptates abiecerunt: quorum plerique hæc ita expetunt, ijsq; student, quasi in eis sit summũ bonum. Itaq; de ijs digladiari solent. Qui ergo istis rebus totos se dediderunt, ij cupiditatibus, animi perturbationibus, eiq; parti quæ est expers rationis, omnino obsequuntur, cuius generis magna copia est. Itaq; appellatio ipsa ducta est à multitudine, quæ ipsa uitiosa & deprauata est. Iure igitur ut probrum obijcitur, ijs qui ita se ipsi diligunt. Nec dubium est, quin eos qui hæc talia sibi proponunt, pleriq; sui diligentes soliti sint dicere. Si quis enim unus ex omnibus maximam operam eò conferat, ut iuste & modeste facta sequatur, aut quæuis alia, quæ uirtutibus congruant, isq; omnino sibi semper honestatem uendicarit, hunc nemo sui diligentem dixerit, hunc nemo reprehendat. Atqui hic potius uir sibi charus esse uideatur. Nã & pulcherrima quæq; ac optima sibi assumit, & parti ei sui, in qua inest uis maxima, obsequitur, pareq; in omnibus. Vt enim ciuitas omnisq; alius conuentus, sic homo est omnium optimum. Sibi ergo charus est maximè,

maximè qui hoc ipsum diligit ab eóq; init gratiã. Atq; etiam ex eo continens & impotens nominatur, quòd animum uincat & teneat, uel non teneat: quoniam in eo omnis nostra uis sita sit, ipsíq; ea sponte nostra uideamur gessisse maximè quæ ratione duce gessimus. Ac illud quidem minime dubium est, suum quemque nostrum animum esse maximè, eumq; à bono uiro maximè diligi. Quapropter idem sibi charus est maximè, alio genere charitatis, quàm quod uitio datur, à quo tantum abest & distat, quantum uita rationi cõsentanea ei præstat quæ uoluptati congruit, quantũq; interest inter honesti appetitionem, eiusq; rei quæ utilis esse uideatur. Ergo ij omnes, qui singulari quadã tenentur præclararum actionum & officiorum cupiditate, in commendatione omnium laudéq; uersantur. Quòd si omnes ad uirtutem honestasq; actiones quasi certatim contenderent, & publice omnes decus, & priuatim singuli summum bonum adipiscerentur. siquidem uirtus ex eo genere est. Ita sibi charus esse bonus debet. Nam & sibi præclaris actionibus proderit, et cæteros iuuabit. At non debet improbus. siquidem & sibi nocebit et proximis, præsertim cum prauis cupiditatibus obsequatur. Ac in deprauatis quidem quæ agunt ipsi, ab ijs dissentiunt quæ facere debent.

bent. Boni autem uiri quæ debent, eadem efficiunt. Nam & animus quod optimum est eligit, & uir bonus rationi obtemperat. Nam quod aiunt, multa uirum bonum & amicorum causa & Reipublicæ gerere solitum, & si opus erit, mortem etiam oppetere: id uerum est. Pecunias enim & honorem, & cætera bona, de quibus homines inter se digladiari solent, contemnet ac pro nihilo putabit, dum sibi honestatem ac decus retineat. Breui enim tempore summam malit, quàm longo leuem percipere uoluptatem: unumque officium præclarum & magnum multis & paruis anteponet. Quod ijs profecto accidit, qui pro amicis & pro patria mortem non dubitant oppetere: qui ijdem sibi quidem magnũ decus assumunt, et diuitias pro nihilo ducũt, quo maiores opes amici consequuntur. Nam cum diuitias et opes amici consequũtur, tum ipse decus et honestatem. Ita sibi maiora bona retinet ac uendicat. Eadem honorũ et imperiorum ratio est. Hæc enim amico omnia relinquet, ex quo decus sibi laudemq; comparabit. Rectè igitur bonus uir detur is, qui rebus omnibus antefert honestatẽ. Atq; etiam fieri potest, ut amico rerum actione cõcessa, pulchrius sit, eum amico gerendæ Reipub. causam extitisse, quàm si ipse gereret. Quare hoc iam perspicuum est,

um est, bonum uirum plus sibi ex ijs rebus quæ ad laudem ualent, assumere solere. Atque hoc quidem modo decet diligentem esse sui: quomodo solent plerique, nõ decet. Hoc etiam de beato quæri solet, utrũ amicis, nec ne, ei sit opus? Beatos enim, eos'que omnes qui se ipsi contenti sunt, amicorum præsidia negant requirere. nam omnibus eos copijs & opibus abundare. cum igitur se ipsi contenti sint, nullo egere. Amicum porrò cum quasi alter idem sit. quod quisque minus per se possit, id suppeditare. Ita cum Deus omnia suppeditet, quid opus est amicis? Sed absurdum sit, cum bona omnia beatis attribuamus & concedamus, amicos non concedere, quibus nihil in bonis externis maius, nihil melius inueniri potest. Quòd si amici est beneficia dare potius quàm accipere, & si est boni uiri ac uirtutis, benigne facere, pulchrius autem & præstantius amicis quàm alienis subuenire: certè bonus uir quibus det beneficia, requirat necesse est. Quocirca quæri solet, utrum rebus aduersis magis quàm secundis desiderentur: quòd calamitosi qui opem ferant, & qui beati putantur, de quibus bene mereantur, requirant. Atque etiam illud alienum sit, beatum constituere solitarium, præsertim cum nemo uelit in summa solitudine omnib. opibus circũfluere 9

& copijs. Est enim homo ad ciuilem congregationem, coniunctionem'que uitæ natus. Hoc igitur beato adest, qui omnibus, quæ ui sua & dignitate bona sunt, sit præditus & ornatus. Atqui hoc quidem perspicuum est, cum amicis & bonis melius esse, quàm cum alienis & quibuslibet uiuere. Est igitur amicis opus beato. Quæ est igitur superiorum sententia, quo'que modo uera est? An id uolunt, plerosque amicos eos potissimum putare, ex quibus sperant se fructum esse capturos? Cuius quidem generis nullum requiret beatus, quippe qui omnibus sit copijs præditus. neq; eorum quenquam, qui delectationis suauitatisq; causa parantur, nisi paulum admodum. Quoniam enim uita ei suauis est et iucunda, nihil uoluptatis ascititiæ indiget. Nec si amicos eiusmodi non desiderat, continuo uidetur nullos requirere omnino. Quod non ita est. Initiò enim dixi beatitudinem in actione quadam consistere, & perspicuum est actionem gigni, non adesse, nec permanere ritu possessionis. Quod si beatitas omnis in uita & actione consistit, boni autem uiri per se & propter se bona est et iucunda actio, ut initio dictum est, sua etiam quemq; delectant, & cernere proximum quemque magis quàm nosmetipsos possumus, illorūq; res & actiones quàm nostras,

nostras, bonorum quoque qui amici sunt actiones, bonos uiros delectant, præsertim cum ijs bonis præditi sunt quæ sua ui & suapte natura bona sunt: efficitur ut beati amicos eius generis desiderēt necessariò. Si quidem intueri uult actiones & facta præclara et sua, quo ex genere sunt illa amici qui sit uir bonus. Huc accedit, quòd beatū iucundè uiuere putant oportere. Itaq; in solitudine agenti, molestiarum ac curarum uita plenissima est. Nec enim facile est eum qui degat in solitudine, continue in rerum actione uersari. cum alijs, & apud alios multo facilius. Futura est igitur ita deniq; actio diuturnior, si iucunditas accesserit: quod inesse debet in beato. Nā uir bonus, quia bonus est, honestis delectatur actionib. turpibus offenditur. sicuti musicorum aures suauibus sonis permulcentur, offenduntur q; contrarijs. Atq; etiam ex uita uictuq; cōmuni, inter bonos exercitatio quædam uirtutis comparatur. ut etiam Theognidi placet,

Virtutem ex doctis disces. uerumq; laborem:
Improbus inficiet teq; animumq; tuum.

Qui autem longius à natura causam petunt, ijs uidetur uir bonus suapte natura expetendus amicus esse uiro bono. Quod enim per se suaq; ui bonū sit, id docui bono uiro sua spōte bono esse ac uoluptati. Atqui

uita in animantibus ui sensus definitur, in hominibus ui sensus & cogitationis. Sed uim actio rerum consequitur, & laus omnis in actione consistit. Viuere autem est propriè sentire & intelligere. Vita etiam in ijs est quæ per se bona sunt et iucunda. Nam definita certaq; est, et quod certũ est ad naturam boni uiri accommodatũ est. Quod autẽ suapte natura bonum est, omne bono uiro bonum uidetur. Quocirca suus status quemq; delectat. Sed nõ est designanda uita uitiosa & deprauata, neq; doloribus cruciatibus ue cõfecta. Vt enim quæ insunt in tali uita, sic ipsa incerta infinitaq; est. Quod ex ijs quæ mox de dolore dicã, erit multo euidentius. Quod si ipsa uita bonũ est, & iucundum. Quod hinc perspici potest, quia cum omnes, tum uel maximè boni eius cupiditate ducuntur. Nam & his expetenda est maximè, et illorũ uita beatissima est. Qui autem cernit, se cernere sensu percipit: & qui audit, se audire: & qui ambulat, se ambulare: itemq; in cæteris quiddam est, quod nos agere percipit. Atq sensu aliquid percipere possumus, quia sensu percipimus. & mente agitare quid possumus, quia cogitamus. Sensu porrò et animo aliquid percipimus, quia sumus & in uita manemus. Nam esse & in uita manere est, uel sensu uel animo percipere. Atqui sentire

tire se quẽq; uiuere in ijs est, quæ sunt suapte natura iucũda. Nam quia per se uita est in bonis, idcirco sensus alicuius rei bonæ quæ adsit, suauis est. Vita autẽ cum omnibus expetenda est, tũ maximè bonis, quòd eis status suus cuiq; bono sit et uoluptati. Sensus enim eius quod suapte natura bonũ sit, eos delectat. Quẽad modũ porrò in se bonus uir, sic in amicũ animatus est. Est enim amicus alter idẽ. Vt igitur suus cuiq;, sic status amici expetendus est. Status autẽ ob eam causam expetendus est, ut diximus, quia ipsum sibi bono esse sensu perciperet, qui quidem sensus per se ipse delectat. Amicum ergo necesse est beatus in uita manere sentiat. Quod uita uictusq; communis, sermonumq; ac consiliorum omnium efficiet societas & communio. In ea enim uitæ degendæ ratione hominum inter ipsos cõsistit coniunctio, non ut pecudum, in pastu ci boq; cõmuni. Quòd si status propterea beati expetẽdus est, quòd sit sua sponte in bonis, in eodẽ autẽ genere est amici status: fit ut amicus in ijs numeretur, quæ beatus expetere debeat. Quod autem ei optabile est, ei adesse debet, aut hac parte aliqd ei deerit. Amicos igitur ueros et uiros bonos, qui futurus est beatus, desiderabit. Sed utrũ parandi sunt amici multi an quemadmodũ in hospitalitate rectè dici uidetur,

nec multitudine opus esse hospitum, neq; omnino desertũ esse oportere: sic deceat in amicitia nec desertũ esse ab amicis, neq; multitudinem amicorum sibi adiungere, magna quæstio est. Ac in ijs quidem qui utilitatis causa fingunt amicitias, quod dictum est, uidere uideatur. Difficile est enim multis referre gratiam, neq; ad id agendum satis sit uita. Quocirca multis eorum quibus res familiaris abunde suppetit, superuacanei sint, afferantq; impedimentum ad uitam honestè degendam. Non est igitur his opus. Iis etiam qui delectationis iucunditatisq; causa amicitiæ præsidia quærunt, pauci satis sunt amici, sicuti in delicijs condimentum. At uerò boni uiri utrum multos parare debent? an ut ciuitatis, sic multitudinis amicorum certi sunt termini constituti? Neq; enim ex decem hominibus constat ciuitas, nec etiam centum millibus, numerusq; fortè nullus est, nisi is omnis qui inter certos aliquos & definitos constitutus est. Ergo amicorum quoq; multitudinis certi sunt quidam fines & termini constituti. Et certè multi adiungendi sunt, quibuscum liceat uitam traducere, cum præsertim id amicitia dignum esse uideatur. Nec uerò dubium est, fieri non posse ut quisquam uitæ societate cum multis coniunctus, ijs se quasi det & impertiat. Iam uerò illi etiam con-

coniuncti sint amicitia oportet: si quidem omnes uita uictúq; communi consociati sint, quòd certè in multis difficile est. Difficile est etiam & rebus prosperis gaudere, & aduersas grauiter ferre cum multis. Cõcurrere enim hæc possunt, ut cum uno uoluptate afficiatur, doleatq; cum altero. Quapropter hic præclarè agetur, si minus quàm plurimos amicos quæramus, at tantum certè numerum, quantus sat sit ad uitæ degendæ institutum. Neq; enim fieri uidetur posse, ut cuiquam ualde chari sint plurimi. Itaque ne in amoribus quidem fieri potest. Est enim certè excellens quædam ac præstans amicitia, qua unus cum uno coniungitur. Quare si qua sit magna & excellens amicitia, ea uni cum paucis intercedat, necesse est. Quod etiã rerũ usu, ac re ipsa experimur. Neq; enim inter multos ea iungitur quæ sodalibus inter ipsos est amicitia. Et quæ celebrantur efferuntur q; laudibus, eæ inter duos iunctæ feruntur. Qui autem multitudinem, & quasi cohortem sibi adiungunt amicorum, quiq; se familiariter gerunt cum omnibus, ij amici nemini uidentur, nisi more urbanorum, quos uocant comes & affabiles. Quapropter uni qui etiam ad uoluptatem nõ loquatur, sed qui uere sit bonus, amicitia cum multis ciuium propria illa quidem intercedere potest: amici-

tia autem quam uirtus contrahit, & conciliat, non
potest. Ac rectè agitur, si paucos huius generis re-
11 periamus. Atque etiam hoc quæri solet, utrum
rebus secundis magis, quàm aduersis, amici desi-
derantur? Nam in utroque genere quæruntur. Nam
& ij qui aduersa utuntur fortuna, opis indigent: &
qui secunda, conuictores requirunt, & quibus be-
nigne faciant, præsertim cum alijs consultum ue-
lint. Ac rebus quidem aduersis magis sunt illi quidem
necessarij, quòd in hoc genere ij quærantur ex qui-
bus fructus percipi possit. sed nescio quomodo ma-
ius ornamentum rebus secundis adferunt. Itaque
uiros bonos sibi adiungunt, quòd & ijs subuenire,
& cum ijs uiuere optabilius ac melius esse uideatur.
Suauis est enim amicorum præsentia & in pros-
peris rebus & aduersis. Mœrores enim & luctus fa-
cit amicitia communicans partiens' que leuiores.
Quocirca quæret aliquis, utrum doloris quasi one-
ris socij sint amici, an non ita sit, sed eorum iucun-
da præsentia, sensus' que communis doloris mino-
rem faciat ægritudinem? Ac utrum ob eas causas, an
ob rem aliquam aliam leuetur eorum dolor, omitta-
mus exponere. quãquam id, quod dixi, euenire uide-
mus: & eorum quodãmodo mixta præsentia uidetur.

Nam

Nam amici aſpectus ſuauis eſt ei præſertim, qui in miſeriis luctuq; uerſetur: in eóque ad depellendum dolorem præſidium eſt paratum & conſtitutum. Amicus enim ſi uerus ſit ac ingenuus, aſpectu & ſermone cõſolari poteſt. Nam cum eius habeat mores cognitos, quibus ille rebus moueatur, & offendatur, intelligit. Sentire autem alterum ſuis incommodis dolere, moleſtum eſt. Nam quoniam omnes cauent ne amicis cauſas doloris afferãt, idcirco qui ſunt magno fortiq; animo præditi natura, dant operam, ne amici in partem ueniant doloris ſui. Quòd ſi minus ſuperet indolentia eum qui eos premit, non ferunt dolorem. omninoq; eos reſpuunt, qui ſocios ſe præbent lamentorum, propterea quod ne ipſi quidem propenſi ſunt ad lamentandum. At uerò mulierculæ ſimilesq; mulierculārum uiri, eorum potiſſimum conſuetudine delectantur, qui ſocios ſe præbent gemitus & lachrymarum, eosq; loco amicorum diligunt. Sed par eſt ſilicet, in omni re optimum quenq; imitari. In rebus autem aſperis, iucundã uitæ conſuetudinẽ et coniunctionẽ, ſenſumq; ſuauẽ efficit amicorũ præſentia, quod ijſdem rebus bonisq; moueantur. Itaq; ultro ad ſocietatẽ & cõmunionẽ proſperitatũ amici uocandi ſunt (nã pulchrũ eſt benignitate uti diligẽter) ad ſocietatẽ

uero

uero calamitatum, timide, ac raro. Neq; enim rectum
est, cum amicis aut bene meritis consociare et cõiun-
gere iniuriam. Ex quo factum est prouerbiũ, Satis e-
go superq; miser sum. Tum autem uocandi sunt maxi
mè, cum leui suscepta molestia, ei profuturi sunt plu-
rimum. Contraq; decet, ad eos qui calamitate premũ
tur, inuocatum et studiose uenire: siquidem amici est,
liberalitate uti in eos præsertim qui opis indigeãt, &
in eos qui nõ rogarint. nam in utrosq; præclarius est.
At uerò in prosperitate, si actionis officijq; causa po-
stulet, studiosè ad amicum eundum est: sin ut benefi-
cium accipias, sensim id timideq; faciundũ. Non enim
decorum est, ultro paratum esse ad petendum præsi-
dium. Sed tamen uitanda est in denegando quod pe-
titur, offensionis quæ nõnunquam suscipitur opinio.
Ergo hoc quidem perspicuum est, in omni fortuna
12 amicorum esse expetendam præsentiam. Sed utrũ
ut amãtibus ipse aspectus charissimus est, ijq; sensum
hunc præ cæteris expetunt, quòd ex eo potissimum
amor nascatur: sic amici uitam uictumq; communem
maximè exoptant? Nam & communitas quædã ami-
citia est, & quo modo in se quisq; affectus est, eodem
erga amicum. Atqui suus cuiq; in semetipso iucundus
est sensus. Et in amico igitur. Eius autẽ sensus munus
& of-

& officium in uita uictuq; cõmuni cernitur. Iure igitur uitæ societatem expetunt. Itaq; in quo quisq; statum uitamq; ponit, & quò omnes uitæ degendæ rationem referunt, in eo uitam uolunt cum amicis consumere. Quocirca alij unà conuiuantur, alij unà se talorum ludo oblectant, nonnulli se exercent unà et uenando & philosophando: in ijsq; totos dies & ætates cõterunt, quæ quisq; in uita maximè adamauit. Quoniam enim uiuere cum amicis unà cupiunt, ea faciunt ipsi: earumq; rerum coniunguntur cõmunione, in quibus consuetudinem uitæ putant consistere. Quapropter improborum mala amicitia est, qui cum instabiles inconstantesq; sint, rerum malarum ineunt societatem: similesq; ac pares inter se, facilè corrũpuntur. At uerò bonorum præclara & honesta est amicitia, quæ usu & consuetudine confirmatur. Videntur etiam progressum in uirtute facere, officijs emendationeq; communi. Alter enim ab altero ea exprimit, quibus percipiant uoluptatem. Hinc illud,

Virtutem ex doctis disces, uerumq; laborem.

Ac de amicitia quidem hactenus.

Liber

LIBER DECIMVS.

1 EQVITVR ut de uoluptate disseramus, quandoquidē generi nostro uidetur esse coniunctissima. Itaque pueros instituūt uoluptate ac dolore gubernare. In eo etiam uis maxima est ad uirtutem, si quis bonis rebus lætetur, doleatq; contrarijs. Patent enim hæc omnia per omnem uitam latissimè, in ijsq; magnum momentum, uisq; magna est ad uirtutem & beatam uitā. Nam & quæ iucunda sunt, omnes sequuntur, & quæ molesta declinant. Quæ cum ita sint, minimè prætermittenda fuit hæc disputatio, præsertim cū magnam hæc ipsa afferant dubitationem. Alij enim uoluptatem bonū esse dicunt, alij contrà ualde magnum malum. Ac illi quidem adducti sunt fortè ut ita esse credant: hi ita denique melius actum iri putant cum uita nostra, si uoluptas, quanquam non sit, tamen ponatur in malis. procliuem enim ad eam multitudinem esse, ac seruire uoluptatibus. Itaque flectendam & deducendam esse in partem contrariam. Sic enim perueniri posse ad mediocritatem atque perfectum. Sed hæc nulla ex parte uera est aut honesta oratio. Omnis enim quæ de pertur-

perturbationibus & officijs instituitur oratio, minorem quàm facta ipsa, habet auctoritatẽ. Cum igitur dicta ab ijs discrepant quæ perspicua sunt sensibus, tum ea contempta, ueritatem ipsam tollunt funditus. Nam qui uoluptatem quam uisus est sequi aliquando, uituperat, is ad eam procliuis uidetur, quasi non sit ex eo genere quælibet. Non enim multitudinis est discernere. Quapropter oratio si uera sit, non solũ ad intelligendum, uerum etiam ad uiuendum ualet plurimum. Si enim factis & uitæ congruat, tum comprobatur. Quocirca eos hortatur, à quibus intelligitur, ut uitam ad se quasi ad normam dirigant. Sed hæc hactenus. Nũc ea explicanda sunt quæ de uoluptate diximus. Eudoxus quidem uoluptatem summũ bonum dicebat, quòd omnia uideret eam sequi, & quæ ratione uterentur, & quæ essent expertia. In omni autem re quod bonum sit, expetendum esse, & optimum quicque maximè. Atqui eam summum bonum esse omnibus, ex eo declarari, quòd ad eam toto impetu omnia ferrentur. Omnes quod sibi bono sit reperire, sicuti cibum. Quod igitur omnibus bono sit, quódque omnia expetant, id summum bonum esse. Quæ eius rationes comprobatæ sunt non sua ui solum & ponderе, sed multo magis bonitate ipsius et moribus. 2

Præ-

Præstanti enim ac singulari habitus est temperantia. Non igitur tanquam uoluptatis patronus hac uti oratione uidebatur, sed quòd res ita haberet. Nec uerò ex contrario minus perspicuum fieri putabat. Dolorem enim omnibus per se esse fugiendum, et expetendum contrarium. Maximè autem expetendum esse, quod rei nullius causa sequeremur. qualis esset uoluptas, cõ sensu omnium. Neminem enim quærere, quamobrem uoluptate afficiatur, quòd per se & propter se sit uoluptas expetenda. Quæ si ad bonum quoduis adderetur, ueluti ad ea quæ iusta & modesta sunt, magis id expetendum efficere. Accessionem igitur bonorũ ipsius accessione fieri. Atqui hæc quidem oratio nõ magis uoluptatem in bonis uidetur, quàm aliud ponere. Quicquid enim bonum est, omne coniunctum cum alio, optabilius est et magis expetendum quàm ipsum separatim. Qui etiam ratione Plato refellit, esse summum bonum uoluptatem. Magis enim expetendã cum prudentia coniunctam iucundam uitam, quàm ipsam separatim. Quod si pluris sit coniuncta uoluptas, nõ esse in ea summum bonum. Nullius enim accessione boni, summum bonum magis expetendum effici posse. Illud autem perspicuum est, non posse illud summũ bonum esse, quod coniunctum cum alio quod per se bonum

bonum sit, magis expetendum & optabilius existat. Quid ergo est eiusmodi cuius nos etiam participes simus? nam tale quæritur. Qui namq; negant summum bonum id, quod omnes appetũt, ij nihil dicunt. Quod enim uidetur omnibus, id dicimus summum bonum. Nec qui tollet hanc fidem et opinionem, aliquid uerisimilius probabilius ue dicat. Etenim si sola rationis expertia eam expeterent, aliqua esset eorum oratio. Sin ea etiam quæ ratione utuntur, quid est quod possint dicere? Atq; etiam corruptis & deprauatis hominibus certè à natura quædam boni particula tributa est, præstantior & melior quàm si sola sit ea, quæ bonum naturæ accommodatũ expetit. Nec uidetur uera quæ de contrario allata est, oratio. Negant enim si dolor malum sit, continuo uoluptatem esse bonũ. Malum enim malo esse contrarium, & neutri utrunque. Quæ cum dicunt, nihil illi quidem absurdum dicũt, sed ab ijs tamen quæ dicta sunt dissentiunt. Si enim utraq; sint in malis, fugienda etiam esse oporteret: sin neutrum sit, aut alterum, eadem ratio est. Nunc constat homines uoluptatem sequi ut bonum, & dolorem fugere ut malum. Ita inter se sunt contraria.

Nec si uoluptas qualitas non est, idcirco in bonis 3
non est, quippe cum nec uirtutis actiones qualitates

ſint, nec beatitudo. cõtendunt autem bonum certum eſſe & finitum, uoluptatem infinitam & incertam, propterea quòd acceſſionem & deceſſionem admittat. Atqui ſi ex maiore & minore id iudicant, idem ualebit in iuſtitia cæteris'que uirtutibus omnibus, quibus homines aiunt eſſe præditos & magis & minus. Alij enim alijs ſunt & iuſtiores & fortiores. Et poteſt aliquis quæ iuſta & modeſta ſunt, & contentius facere & remiſsius. Quòd ſi in uoluptatibus nunquam cauſam adferant, cur ſint aliæ immixtæ & ſimplices, aliæ mixtæ & coniunctæ: quid prohibet, ut ualetudo quæ certa ſit & finita, firmior eſt et infirmior, ſic maiorem fieri & minorem uoluptatem? Non enim uel omnium eſt eadem temperatio, uel aliqua certa ſemper in eodem, ſed remiſſa ad tempus permanet: differt'que acceſſione & deceſſione à ſuperiore. quod idem in uoluptate poteſt contingere. Præterea cum ſummum bonum perfectum quiddam & absolutum ponunt, motiones autem & ortus inchoatos: uoluptatem quidem motum & ortum oſtendere conantur, quod mihi inſcitè uidentur dicere. Neque enim motus eſt uoluptas, quandoquidem propria eſt omnis motionis uelocitas & tarditas: & ſi nõ per ſe, uelut eius quæ mundo attributa eſt ad aliud. At neu-

neutrum horum uoluptati accidit. Fieri enim potest, ut quemadmodum in ira, sic aliquis cito sit in uoluptate. Vt autem uoluptatem capiat cito, non potest, ne cum alio quidem. At ut ingrediatur quis, & crescat, potest, & siqua sunt eiusdem generis. Fieri ergo potest ut celeriter tardè ue ex dolore mutemur in uoluptatem: ut autem cito conuenienter uoluptati uiuamus, id est, gaudeamus & afficiamur uoluptate, non potest. Ortus porrò quo tandem pacto futura est? Nõ enim ex re qualibet quiduis oritur, sed occidunt in id omnia, unde orta sunt: & cui rei causam ortus adfert uoluptas, eidem est dolor interitus causa. Atque etiam dolorem dicunt, indigentiam esse eius quod naturæ accommodatum est: uoluptatem eius expletionem atque satietatem, quæ sunt perturbationes corporis. Si ergo uoluptas expletio est eius, quod naturæ accommodatũ sit: in quo fuerit expletio, id profectò corporis percipiat uoluptatem necesse est. At non est ita. Non est igitur expletio uoluptas, sed cum adest satietas & expletio, tum quis uoluptate afficitur: & cum secatur, dolet. Ac mihi quidem certè hæc manasse sententia uidetur ex ijs uoluptatibus & doloribus, quæ ex cibo alimentoque capiuntur. Cum enim homines aliquid dolentes desiderant, pòst eius sa-

tietate capiuntur. quanquã non omnibus id uoluptatibus cõtingit. Vacant enim dolore Mathematicæ uoluptates, eæq; omnes quæ sensibus olfactuq; percipiuntur: atque etiam auditiones & aspectus. multæ præterea recordationes et expectationes dolore carent. Quæ quidem cuius tandem rei ortus sunt futuræ? præsertim cum nullius fuerint desiderij quod explere possint. Nam ijs quidem hominibus, qui obscœnas uoluptates adferunt, respondendum est, non esse iucunda illa, ex quibus illæ capiantur. Non enim si hominibus male animo affectis & constitutis iucunda sunt, idcirco putanda sunt iucunda esse omnino & absolutè, nisi fortè his talibus: sicuti ne ægris quidem salubria uidentur, nec dulcia nec amara. nec lippis rursum alba uidentur, ea quæ perspicua sunt sensibus. Aut certè hoc modo dicatur, uoluptates quasdam expetendas esse, at non eas quidem quæ hæc consequuntur: ut sunt diuitiæ expetendæ, at non proditori. & ualetudo est illa quidem expetenda, sed tamen non ei qui uescatur re qualibet. Aut specie uoluptates differre. Aliæ enim ex honestis capiuntur, aliæ ex rebus obscœnis & turpibus. Nec quenquam delectare potest uoluptas quæ ex rebus iustis capitur, nisi idẽ sit iustus: nec quæ ex musicis, ni

si

si idem sit musicus. Eadem est ratio cæterorum. Atq; etiam amicus, qui ab assentatore abest, distatq; plurimum, facilè declarat, nõ esse uoluptatem bonum, aut eas certè specie differre. Ille enim boni honestiq; causa cõgressus et consuetudines sequitur, quod laudi ducitur: hic uoluptatis, quod uitio datur. Nemoq; est qui ijs uelit uoluptatibus perfluẽs, quibus pueri quàm maximè putant, in puerili mente degere omnem ætatem: neque ex obscœnis & turpibus factis uoluptatem capere, nullo unquam impendente doloris metu. Multarum etiam rerum studio trahamur, etiam si nullam uoluptatem adferunt. ut uidendi, ut recordandi, ut sciendi, actionis' que uirtutum. Nec interest, utrum ex ijs uoluptas consequatur necessario: quippe cum ea sequeremur, etsi nulla ex ijs gigneretur uoluptas. Ergo illud quidem perspicuum est, nec bonum uoluptatem esse, nec omnem expetendam. etiam illud, per se expetendas aliquas, quæ specie inter se differant, aut ab ijs rebus ex quibus oriantur. Ac de ijs quidem quæ de uoluptate & dolore disputantur, hactenus. Quid autem, qualis' ue sit, facilius si pau 4
lo altius repetamus, intelligetur. Aspectus enim perfectus est quouis tẽpore. Nihil enim desiderat, quod factum in posterum, ipsius genus possit absoluere.

Huic est similis uoluptas, quæ tota est & perfecta. nullo enim tempore quisquam capere uoluptatem potest, ut si maiore tempore gignatur, eius genus possit absolui. Ita ne motus quidem est. Motus enim omnis in tempore cernitur, finemq; aliquem et terminũ spectat. ueluti actio quæ in ædificando suscipitur, tum perfecta absolutaq; est, cum id quò refertur, absoluerit: aut certè in eo toto tempore. At in partibus temporis omnes inchoatæ sunt, differuntq; specie à perfecta actione, & illæ etiam inter se. Lapidum enim compositio à columnæ erectione differt, & hæ ipsæ à templi perfectione. Ac templi quidem ædificium & structura undiq; perfecta est, cum ei nihil desit quod propositum fuerat, fundamenti autem & laquearium inchoata, non perfecta, quippe cum utraq; partis sit propria. Quapropter specie inter se differunt, nec potest in ullo, nisi in toto tempore, reperiri motus in suo genere perfectus. Similis est ratio ingressus & motionum cæterarum omnium. Etenim si translatio motus est quo hinc illuc itur, & huius genera sunt uolatus, ingressus, saltatio, & alia eiusdem generis. nec solum ita, sed in ipso etiam incessu. Terminus enim ex quo mouemur in alium, non est idem in stadio & in parte. neque in alia atque alia parte.

Nec

Nec idem est huius & illius lineæ transitus. Non enim solum linea præteritur, sed etiam linea quæ in loco sita est. At in alio loco hæc atque illa præteritur. Ac de motu quidē alijs libris accurate disputauimus, qui quidem non in omni perfectus tempore uidetur, inchoatiq; sunt ac non perfecti multi, qui etiam specie inter se differant. siquidem termini, à quo motus incipit, & in quo desinit, speciem conficiunt. At uerò uoluptatis est in quolibet tempore perfectum genus. Ita perspicuum est & inter se specie differre uoluptates, & in ijs esse, quæ uniuersa, totaq; sint atq; perfecta. Quod etiam hinc perspici potest, quia nihil moueri nisi in tempore potest, at uoluptate affici potest: quandoquidem quod in puncto est temporis, id totum est etiam atq; uniuersum. Ex quibus hoc quoq; perspicuum est, inscite ab his in motu et ortu poni uoluptatem. Neque enim hæc ipsa sunt rerum omnium, sed earum duntaxat quæ partes sunt, non etiam tota. Nec enim aspectus ortus est, nec puncti, nec unius: nec quicquam eorum est motus aut ortus. Nec igitur uoluptatis quidem, quæ est res quædam tota & uniuersa. Cum uerò sensus omnis in eo munus suum exequitur, quod sub ipsum cadit: tum is qui bene affectus est, in eo probè munus officiumq; suum tuetur,

quod omniũ quæ ſub ſenſum illũ ſubiecta ſũt, eſt præ ſtantiſsimũ. ſiquidẽ tale quiddã perfecta actio perfectusq; uſus uidetur maximè. Ac utrũ ſenſum agere dicamus, an id ipſum in quo ipſe ſit, nihil intereſt. At qui in omnib. actio eſt optima eius qui optime ad id affectus eſt, quod eſt omniũ, quæ ſenſui ſubiecta ſunt, nobiliſsimũ. quæ eadẽ ſit neceſſe eſt & abſolutiſsima et ſuauiſsima. Eſt enim ſua cuiuſq; ſenſus, uoluptas propria: itemq; mentis et cõtemplationis. Vt autẽ quæq; actio plurimũ habet iucũditatis, ita eſt perfectiſsima. At ea demum perfectiſsima eſt, quæ ab eo proficiſcitur qui bene affectus aptusq; eſt ad eam rem gerẽdam quæ omnium optima eſt, earum quæ propoſitæ ſunt ſenſui. Perficit autem actionem uoluptas. nec uerò ita uoluptas perficit, ut res ſenſui ſubiecta: & ſenſus ipſe cum ſunt integra. ſicuti ne ualetudo quidem & medicus eodem modo cauſa ſunt cur ualeamus. Illud autem perſpicuum eſt, in omni ſenſu uerſari uoluptatẽ, ſiquidem aſpectus & auditiones iucundas eſſe dicimus. Ac illud quidem etiam perſpicuum eſt, ita denique ſummam uoluptatem futuram, ſi ſenſus ſit integerrimus, et in re aliqua eius generis occupatus: eiuſmodi etiam ſit res ſub ſenſum ſubiecta, & res ſenſu percipiẽs: ſi quidem adſit quod agat, quodq; patiatur.

Sed

Sed actionem absoluit uoluptas, non ut ingenitus qui dem habitus, sed ut quidam finis accedens. ueluti hominibus corroboratis iam confirmatisq; ætatibus, pulchritudo solet accedere. Quandiu porrò res subiecta sensui uel animo talis manet, qualis debet, itemq; & quod iudicat et quod contemplatur: tandiu futura est uoluptas in actione. Etenim si quod agit quodq; patitur similia sint, eodemq; modo inter se affecta: eadem res solet existere natura. Et quoniam uoluptate nemo continenter afficitur, aut laborem subit (humanæ enim res laborem sempiternum non possunt pati) idcirco ne uoluptas quidem manet ulla sempiterna, cum præsertim actionem comitetur. Res autem quædam placent illæ quidem & delectant cum nouæ sunt, sed in posterum ob eam ipsæ causam non item. Primum enim inuitatur & allicitur animus, & in res ipsas totus intenditur: ut aciem oculorum intendunt ij omnes qui res considerant: deinde actio eiusmodi non consequitur, sed multo remissior. Ita uoluptas quoq; omnis obscuratur. Omnes autem uoluptatem appetere, hinc intelligi potest, quòd omnes uitæ cupiditate ducuntur. Atqui uita quædã actio est. In ijsq; rebus quisque elaborat & uersatur, quas maximè adamauit. ut musicus auditu in cantu. ut discendi cupidus, animo

in rerum cognitione & contemplatione. itemq; cæteri. At rerum actiones undiq; absolutas uoluptas efficit. uitam etiamc, uius cupiditate incensi sumus omnes. Ergo uoluptatem quoq; expetunt, nec sine causa, quippe cum uitam quam quisq; expetit, absoluat. Vtrum autem uitam uoluptatis causa expetamus, an ad uitam uoluptatem referamus, nunc omittamus quærere. Copulata enim hæc inter se uidentur, ut neutrum ab altero nec diuelli possit nec distrahi. Nam & uoluptas esse sine actione nullo modo potest, & perfi-
5 cit omnem actionem uoluptas. Ex quo perspici potest, uoluptates differre specie. Quæ enim differentium sunt generum, ab alijs atq; alijs perfici putamus. Differunt autem animi uoluptates ab ijs quæ percipiuntur sensibus. Constat enim sic habere omnia, & quæ natura & quæ arte solent effici. Vt animalia, ut arbores, ut pictura, ut statuæ, ut domus, ut uas. patet igitur eodẽ modo, actiones etiã quæ specie differunt, ab ijs compleri quæ specie differant. Atqui quæ animo gerũtur ab ijs quæ sensibus, & hæ inter se diuersæ sunt. Et uoluptates igitur, quæ eas cõplent et absoluunt. Idq; ex eo etiam intelligi potest, quòd unaquæq; uoluptas cũ ea coniuncta est actione, quam cõpleat. Auget enim actionem sua uoluptas. Acrius enim &

accu-

accuratius iudicant exquirunt: ꝺ omnia ij qui rem gerunt, et tractant libenter. Vt geometræ fiunt ij qui rebus geometriæ ſubiectis delectantur, ijq; omnia melius intelligunt. Itemq; & muſicæ & architecturæ ſtudioſi, et cæterarum artium ſinguli artifices ſuo quiſq; operi acceſſionem reperit, eo delectatus. Adaugent igitur uoluptates. At quæ rem augent, maioremq; efficiunt, finitima ac propria uidentur. Et ijs rebus quæ ſpecie differunt, adiumenta etiam quæſita ſunt, quæ etiam ſpecie differrent. Iam uerò hinc etiam facilius hoc ipſum intelligi poteſt, quòd quæ à diuerſis rebus ortæ ſunt uoluptates, actiones impediunt. Qui enim tibiarum cantu tenẽtur, non poſſunt uerba quæ interim fiunt, aduertere, ſi tibicinem modulantem audiant, cum maiorem uoluptatem ex numeris capiant, quàm ex præſenti actione. Voluptas igitur quam parit tibiarũ numerus, eam labefactat, quæ ex oratione percipitur. Quod idem in alijs contingit, cum ſimul in duas res animi aciem intendimus. Quæ enim plus habet oblectationis, excludit alteram, eóque magis, quo maior uoluptatis præſtantia eſt, ut nihil agamus in altera. Itaque cum uehementer nos res quælibet delectat, non admodum aliud agimus. Quod ijs uſuuenit, qui in theatro edunt bellaria: idq; faciunt tum uel

tum uel maximè, cum imperiti ignobilesq; concertãt. Quoniam autem uoluptas propria & delectatio accuratas facit & diuturniores & meliores actiones, quæ autem alienæ sunt, corrumpunt & labefactant: perspicuum est inter eas interesse plurimum. Ferè enim idem faciunt alienæ uoluptates, quod proprij dolores. Vt si cui iniucundus molestusq; est scribendi labor, alteri ratiocinandi: ille scribere, hic ratiocinari non solet, quòd molestiæ plena sit actio. Cõtingit ergo in actionibus contrà à uoluptatibus ijs quæ naturæ accommodatæ sunt, atq; à doloribus. Accommodatæ autem sunt ad naturam eæ quæ actionem per se cõsequuntur. Alienæ uerò dictæ sunt, quæ simile quid dam faciunt doloris. Interimunt enim, & si non eodẽ modo. Præterea cum actiones aliæ bonæ sint, aliæ malæ, earumq; nonnullæ expetendæ, quædam fugiẽdæ, aliæ indifferentes: eadem est ratio uoluptatum. Sua enim cuiusq; actionis uoluptas est & delectatio. Quæ ergo prauæ propria est, eadẽ inhonesta & mala: quæ bonæ & honestæ, bona. Etenim rerum honestarum laudandæ sunt cupiditates, turpium uituperãdæ. Sed actiõibus interiores sunt, quæ in ipsis insunt uoluptates, quàm cupiditates: quoniam hæ sunt ab illis disiunctæ & temporibus et natura: uoluptates autem ita

rem ita propè accedunt ad actiones, adeoq; indistinctæ sunt, ut idem ne sit uoluptas quod actio, sit quæstio, non tamen uidetur quidem uoluptas esse cogitatio, aut sensus. Sed quia non separantur, idem uidentur esse nonnullis. Vt igitur actiones, sic uoluptates differunt. Interest autem aspectus à tactu puritate, & à gustatu tactus & odoratus. Similiterq; differũt inter se sensuum uoluptates, & ab his illæ animi, & inter se utræq;: uidetúrq; ut opus, sic sua cuiq; animalium uoluptas esse attributa. siquidem quæ actionem consequitur. Id quod singula spectanti uidebitur. Alia est enim uoluptas equi, alia canis, alia hominis. Verumq; est illud Heracleti, Asinos stramen malle quàm aurum. Est enim asinis stramen pabulum, quàm aurũ suauius. Atque eæ quidem quæ propriæ sunt, eorum quæ specie differunt, diuersorum etiam sunt generũ. Quæ autem eiusdem sunt generis, eæ consentaneum est, ut non differant. At uerò in hominibus magna earum distinctio est. Eadem enim res alios offendit, alios delectat: nonnullisq; aspera ac molesta est, quibusdam suauis & dulcis. Quod etiam in rebus dulcibus contingit. Non enim eadem res dulcis uidetur ei qui febre afflictatur, & ualenti: neq; idem calidum ei qui imbecilla & infirma est ualetudine, et ei qui bene habet

bet corpus constitutum. similiterq; fit in cæteris. In quibus omnibus id uidetur uerum quod, sapienti uideatur. Quod si præclarè ac uerè dicitur: profectò ut uidetur, sic etiam est rerum omnium mensura uirtus, & sapiens, quia talis est. uoluptatesq; eæ sunt habendæ, & iucunda ea, quæ huic uidentur. Quæ autem ei grauia & molesta sunt, ea si cui suauia uideantur, nihil mirum. Multæ enim sunt hominum deprauatæ infectæq; affectiones. nec ea uoluptatem efficiunt, nisi fortè istis, & qui ita affecti sunt animo & constituti. Ac eas quidem quas obscœnas et turpes constat esse, perspicuum est non esse nominandas uoluptates, nisi fortè desperatorum hominum. Bonorum autem sunt ueræ uoluptates. Sed quæ tandem, qualis ue hominis propria uoluptas habẽda est? an id perspici potest ex actionibus, quas uoluptates consequuntur? Siue ergo una siue plures habendæ sunt perfecti & beati uiri uoluptates, profectò quæ has complebunt & absoluent, eæ propriæ & ueræ dici possunt hominis uoluptates. Cæteræ secundum locum & eum perexiguum, ut etiam actiones, obtinebunt. Reliquum est, quoniam de ijs disseruimus quæ ad uirtutes, amicitias, & uoluptates pertinebant, ut populariter ac planè de beatitudine dicamus. præsertim cum in ea rerum humana-

humanarũ finem ultimumq; ponamus. Quòd si quæ
suprà dicta sunt paulo altius repetamus, multo bre-
uior futura est oratio. Habitum quidem eam esse ne-
gauimus, quòd dormienti per omne tempus ætatis ad-
esse posset. etiam ei qui uitam plantarum degeret, ei-
que qui in maximis calamitatibus miserijsq; uersa-
retur. Quæ si minus probantur, potiusque in actio-
ne ponenda est, ut suprà docuimus: actiones autem
aliæ sunt necessariæ & propter aliud expetendæ, a-
liæ ui sua & propter se: perspicuum est in ijs quæ pro
pter se, non propter aliud sunt petendæ, beatam uitã
esse numerandã. Nihil enim beata uita desiderat, ni-
hil requirit, nullo eget, sed se ipsa contenta est. Sũt au
tẽ propter se expetẽdæ, ex quibus sola actio petitur.
ex quo sunt genere uirtuti cõsentaneæ actiones. Præ
clarè enim facta omnia in ijs ducũtur, quæ ui sua per
se & propter se expetuntur, atq; etiã eæ quæ pueris
gratæ sunt atq; iucundæ, qd eas nusq; illi referant.
Dãt enim eis incõmoda potius, quàm utilitatem affe-
rant: uidemusq; eos nec ualetudinis, nec rei familiaris
habere rationem. & confugiunt ad hæc uitæ institu
ta plerique eorum, qui beati putantur. Itaque apud
tyrannos honorati sunt, ij qui in rebus et institutis hu
iusmodi comes se facetosq; præbent. Quarum enim

rerum

rerum illi cupiditate incensi sunt, in ijs se iucundos et affabiles esse uolunt: quales illi homines requirunt maximè. Atq; hæc ipsa quidem uidentur propterea uitã beatam complere, quòd homines principatu, imperio, & potestate præditi ijs rebus operæ plurimum tribuunt. Sed profectò in his talibus nihil exempli est constitutum. Neq; enim cum potestate & imperio uirtus & ratio, à quibus actiones proficiscuntur, ullum habent cõmercium. Nec si propterea quòd partem nullam liquidæ uoluptatis & liberæ unquam gustarunt, se corporis uoluptatibus dedãt: idcirco putandæ sunt optabiliores. Nam pueri etiam quæ apud ipsos sunt in honore & pretio, optima existimant. Consentaneum est igitur, ut alia pueris, alia uiris in studio sunt, sic im probis esse & bonis. Quare ea demum, ut sæpe dixi, habenda sunt honorata & iucunda, quæ bono uiro eiusmodi uidebuntur. Singulis autẽ hominibus, quæ à sua cuiusq; temperatione ducitur, maximè expetenda actio est. Et sapienti ea, quæ uirtuti cõgruit. Non igitur est in ludo beata uita. Nam absurdum sit profectò, finem rerum omnium in ludo ponere. totq; ac tantas res gerere, tot uitæ pericula adire, tanta mala perferre, ob eam unam causam, ut possis ludere. Omnia enim uerè ut dicam, excepta beata uita, propter aliud

expeti-

expetimus. Est enim finis & extremum omnium. Laborem autem ferre, ut ludas, stultum quiddam & nimium puerile est. At ludere, ut res serias gerere possis, Anacharsidis sententia, concessum est. Quoniam enim ludus requieti & cessationi similis est, quoniamq; laborem ferre sempiternum minime possumus, cessatione opus est. Non est igitur in ocio & cessatione finis positus, quippe quæ ad actionem referatur. Beata autem uita non in ludo, sed in uirtute consistit, quoniam ea demum sapiens uidetur. Quæq; res bonæ & seriæ sunt, eas meliores dicimus iocis & ludibus, ut optimæ cuiusq; partis et hominis actio et uirtus sit præstantissima. At optimæ cuiusq; partis actio & uirtus optima est, & beatæ iam uitæ maximè propria uidetur. Voluptatibus autẽ corporis frui quiuis potest, etiam mancipium, non minus quàm uir optimus. At beatitudinem mancipio nemo tribuat, nisi etiam uitam beatam. Non enim in his uitæ degendæ rationibus beata uita, sed in uirtuti consentaneis, ut dixi, actionibus officijsq; cernitur. Quòd si beati 7
tudo actio est uirtuti congruens, consentaneum est, ut sit optimæ consentanea. quam eandem sitam esse necesse est in parte optima, siue ea quidem mens est, siue alia pars aliqua, quæ naturæ lege impera-

re debet ac regere, noticiamq; in se rerum honestarum ac diuinarum continere, seu diuina quædam res etiam est, seu in nobis ea nihil est diuinius: in eius certè actione uirtuti propriæ consentanea completa & absoluta beatitudo ponetur, quam eandem in cognitione & contemplatione consistere, suprà demonstratum est. Id quod uideri potest & superioribus respondere, & conspirare cum ueritate. Omnium enim actionum nulla est hac præstantior, nulla melior, nulla deniq; diuturnior & permanentior. Nam et mente nihil in nobis est, & nihil eorum quæ sub mente subiecta sunt ad cognoscendum, diuinius. Eademq; contemplari diutius, quàm quiduis agere possumus: præterea uoluptatem putamus copulari & connecti debere cum beatitudine. Omnium autem actionum quæ à uirtute manant, nulla est iucundior omnium consensu, nulla suauior ea, quæ à sapientia proficiscitur. Itaque mirabiles quasdam sapientia puritate & stabilitate habet oblectationes. Atqui consentaneum est doctos quàm dubitantes & inscitos, ex studio maiorem percipere uoluptatem. Illaq; quæ fertur satis ampla, & se ipsa contenta ratio, in rerum cognitione & contẽplatione consistit maximè. Omniũ enim rerum quæ ad uitam degendam sunt necessa-

riæ,

riæ, & ſapiens uir & iuſtus, & cæteri omnes indigent. Quorũ omniũ ut ſatis magnis copijs abundẽt, tamen uir iuſtus apud quos & quibus cum res iuſtas tractet, deſiderabit. item' que moderatus & fortis, & cæteri. At uero ſapiens etiam ſolus poteſt in rerum cognitione uerſari, eoq; magis quo erit maiore ſapientia ornatus & inſtructus. Cui quanquam melius eſt miniſtros præſto eſſe, tamen ſe ipſe eſt contẽtus maximè. Beatitudo etiam ipſa propter ſe ſola uidetur expeti, quippe ex qua præter contemplationem nihil conſequatur, & ab ijs rebus quæ gerũtur præter actionẽ plus minus'ue præterea aſſumamus. Quæ eadem in otio et ceßatione uidetur conſiſtere. Negotia enim ſuſcipimus, ut in otio ſimus: & bella gerimus ob eam cauſam, ut in pace uiuamus. Ac uirtutum quidem uſus & munera earum quæ ad actionem rerum ualent, in ciuilibus bellicisq; rebus uigent maximè. quæq; in his uerſantur actiones et officia, negotioſa uidentur. Ac bellicæ quidem omnino. Nemo enim bellum quia bellum eſt gerere inſtituit, neque bellum parare. Crudelis enim uideatur omnino, ſi quis amicos ad bellum inſtruat, ut pugna edatur, fiantq; cædes. Eſt autem ciuile officium in negotio, ei' que præter Reip. adminiſtrationem propoſita ſunt im-

peria & honores, aut certè beata uita ciuibusq; alia à ciuili longe diuersa, quam etiam quærimus, quamq; ab illa differre constat. Quòd si uirtutum actionibus & officijs bellica & ciuilia multo præstant & digni tate & magnitudine, hæc autem actuosa sunt, ad finemq; aliquem referuntur, nec propter se expetũtur, certè mentis & animi sapiens actio longe excellere uideatur, quæ & cognitione dirigitur, & præter se finem sibi nullum proponit, & propriam habet oblectationem, qua ipsa maximè augeatur. Quocirca & quod satis est, & otium, & uacuitas defatigationis, quantum natura humana patitur, cætera quæ omnia quæ beato uiro tribuuntur, hac ipsa actione continẽtur. Hanc igitur, si perfectæ & absolutæ uitæ usura accesserit, completam beatam uitam hominis licet dicere. Nihil enim in beata uita non perfectum potest existere. Quæ talis uita profectò melior est, quàm ut attribuere eam sibi homo debeat. Eam enim agit non quia homo est, sed quòd in eo diuinum quiddam inclusum est, quod quanto præstat ei quod concretum est, tanto eius actionibus antecellit. Vt igitur diuinum quiddam mens est cum homine comparata, sic uita ei congruens & consentanea, diuina est ad humanam. Omnes q; que debemus, non, ut hortantur

tur quidam, ſpectare humana cum ſimus homines, nec mortalia cum mortales: ſed quoad poſſumus, niti ad immortalem gloriam, omniaq; perficere, ut uitam ex eo degamus quo nihil eſt in nobis præſtantius. Etſi enim mole exiguũ eſt, at ui certè & dignitate multum rebus omnibus antecellit, quæ pars cuiusque, is eſt quiſque. ſiquidem in nobis ſumma omnis eius eſt, eá que nulla præſtantior. Quo indignius uideatur, ſi non ſuam quiſque uitam ſequatur, ſed alienam. Accedit huc, quod & antea diximus & nunc dici par eſt, quod cuique tributum ſit à natura, id cuique eſſe & optimum & ſuauiſſimum. Et uita igitur homini eſt ſuauiſsima menti congruens. ſiquidem eſt homo hæc pars maximè, quæ eadem uita etiam beatiſsima ſit neceſſe eſt. Secundo loco uita dicitur ea quæ reliquis uirtutibus congruit, quod actiones illis conſentaneæ ſint humanæ. Nam & iuſtitiæ nos & fortitudinis cæterarũq; uirtutũ muneribus officijsq; ultro et citro fungimur, cum rebus cõtrahendis quas uſus cultusq; uitæ deſiderat. ſuũ cuiq; tribuimus pro dignitate. quæ in uita hominum perſpicuum eſt omnia uerſari. Atq; etiam à corpore quædam officia ducũtur, habetq; cũ perturbatione bonitas et uirtus magnum cõmercium. Copulata etiã eſt & cõnexa prudentia

dentia cũ uirtute quæ ſpectatur in moribus: & hæc ipſa cũ prudẽtia. Nam & prudentiæ initia manant ab his uirtutibus, & quicquid in eis eſt quod bonum rectumq; ſit, id omne à prudentia ducitur. Atqui hæ ipſæ in perturbationibus inhærent, in eoq; toto quod ex anima & corpore concretum eſt ſitæ ſunt: cuius quoniam humanæ ſunt uirtutes, neceſſe eſt etiam uitam eam quæ ad eas dirigitur, et beatitudinem eſſe humanã. At uerò quæ à mente uita & beatitudo proficiſcitur, ab illa ſeparata eſt. Hæc enim de ea dicta ſunt hactenus, quoniam de ea ſubtilius diſputare, maioris negotij ſit quàm quod ſuſcepimus. Sed paulum admodum hæc fortunæ bona & affluentiam, aut minus etiam quàm quæ more perficitur, uidetur requirere. Nam ut rerũ ad uiuẽdum neceſſariarũ uſus utriq; par ſit & æquus, etiamſi maior quædã ei qui in actione uerſatur, ad res corporis cæteras q; omnes eiuſdẽ generis procurandas adhibenda ſit diligẽtia (perexigua enim eſt diſtinctio) at certè in officijs & actionib. ſequendis, plurimum inter eos intererit. Nam & liberali ad tuenda officia liberalitatis, pecunia opus erit, & iuſto quidem ad referendam gratiam. Incerti enim ſunt animi hominum, multi'que cum iuſti non ſint, præ ſe ferunt iuſtitiæ ſpeciem et opinionẽ. Forti uerò uis

uis est necessaria, si quid uirtute gerere uelit: & moderato uiro licētia. Quomodo enim perspici poterit, utrum hac uirtute præditus sit, an ab ea alienus? Vtrum autem uoluntas & prima susceptio plus in uirtute posſit, an affectus, quoniam in utroque consistit, quæstio est. Nec dubiū quidem, quin in ijs perfectio & quasi summa consistat. Actiones etiam multa desiderant, eoq; plura & maiora quo maiores & clariores. At homo is qui in rerum cognitione uersatur, res eusmodi ad actionem nihil requirit, quinetiam uerè ut dicam, impediunt contemplationē. Sed tamen quia homo est, uitæq; usu cum multis implicatur ut officia sequatur: idcirco his ei opus erit, ut more hominū uitam posſit degere. Hanc autem undique completam & absolutam beatitudinem, in actione quadam esse cognitionis & contemplationis, hinc etiam perspici potest. Deos enim putamus esse beatissimos. quas tandem ijs actiones, quæ officia tribuemus? Num iustitiæ? At nonne ridiculi uidebuntur, si & res contrahant, & deposita reddant, cætera'que faciant eiusdem generis? An fortes dicemus eos qui res asperas perferant, periculá'que adeant ob eam causam, quia deceat? Num liberales? At cui largientur? Absurdum etiam uideatur, si numum, aut tale quid

habeant. An uerò temperantes? At quî esse possunt? An non laus sit uiolenta & importuna, prauis eos uacare cupiditatibus? Atqui si per omnia actionum officiorumq; genera expatiemur, perexiguam sanè laudẽ & Deorum maiestate indignam continere uidebuntur. Attamen eos uiuere omnes existimant. Agere ergo etiam eos putant. Non enim par est, eos tanquam Endymionem, dormientes facere. Sublata igitur agẽdi, faciendiq; ac multo etiam magis, ratione, quid tandem uiuenti Deo præter contemplationem relinquitur? Ita Dei præstans beatitudine actio in cognitione & contemplatione consistat necesse est. Atq; etiam hominum actio ut quæq; ad hanc proximè accedit, ita est beatissima. Idq; ex eo intelligi potest, quòd cæterea animalia sunt omnia expertia beatitudinis, cum huius sint generis actione priuata. Nam omnis est Deorum beata uita, hominum autem quatenus in ea elucet quoddam eius actionis exemplar. At ex cæteris animantium generibus nullum beatitudinem cõsequitur, quòd cognitionis & contemplationis nullo modo sit particeps. Quàm ergo late patet cõtemplatio, tam etiam beatitudo: & quo maior aliquibus inest cognitio, & contemplatio, eo ampliorem beatitudinem consequuntur, non temere & casu, sed contemplatione.

Est

Est enim per se plena dignitatis. Ita est in contemplatione beatitudo. Commodis autem externis, cum homo sit, indigebit. Imbecilla enim natura est ad rerum cõtemplationem. Sed certè opus est corpus ualere & uigere, præsidiáq; uitæ necessaria: reliquumq; cultum suppetere. Nec si beatus sine bonis externis esse nemo potest, idcirco multis & magnis beato fore opus putandum est. Non enim in nimia quadam rerum omnium abundantia & affluentia, satietas posita est uel officium. possunt enim ij etiam qui terra mariq; nõ imperant, res gerere & magnas & dignitatis plenas. Nam cui adsint modicæ ac moderatæ opes, is potest ea efficere, & præstare omnia quæ uirtuti cõgruunt. Quod planè cernere licet. Priuati enim homines, nihilo minus, ac multo etiam magis uirtutẽ colũt, quàm ij qui sunt in magistratu. Atque hæ tales satis magnæ sunt copiæ. quandoquidem uita futura est beata eius, qui uirtutem colet. Et Solon quidem beatos recte profectò eos dixit, qui moderatis externis copijs & commodis præditi, res gessissent illustrissimas, & temperate moderateq; uixissent. Fieri enim potest, ut qui mediocres opes habeant, officium sequantur. Anaxagoras uerò nec diuitem nec potentem quenquam beatum iudicat, quòd neget sibi mirum uisum iri, si quis

multitudini, quæ ex bonis externis, quorum solũ sensum habet, homines iudicaret, ineptus & stultus uideretur. Cum rationibus, sapientum quoq; sententiæ congruunt, quæ magnam quandam habent illæ quidem auctoritatem, sed tamen cum de officijs agitur, tum ex factis & uita, in quibus laus uersatur, ueritas iudicatur. Spectanda igitur sunt antè dicta omnia. quæ si cum factis consentiant, comprobare: sin discrepent, uerba existimare debemus. Vt autem quisq; rationem uitæ actionisq; ducem maximè sequitur et colit, estq; optimè animo cõstitutus, ita est Deo charissimus. Etenim si dij res curant humanas, sicuti curant, profectò illud quidem est cõsentaneum, ut re delectentur & optima, & quæ generis societate cum ipsis sit coniunctissima, qualis mens uidetur esse: ijsq; hominibus qui eam rem maxime ament & colant, beneficia reddant, quod res eas curent illi quas habent charas, rectéq; ac præclare facta sequantur. Nec uerò dubium est, quin hæc ipsa insint omnia sapienti. Ergo Deo charissimus est, idemq; beatissimus debet esse. Ita sapiens maximè est beatus futurus.

Sed quoniam de his rebus, de uirtutibus, de amicitia, de uoluptate satis multa dicta sunt dilucide ac pingui quadã Minerua: quæret aliquis, num finis instituti mei

mei uenisse putandus sit: an, ut aiunt, cum officia & actiones traduntur, non est finis in cognitione positus, sed actione potius singulorum? Atqui ne uirtutē quidem satis est habere cognitam, dandaq; opera est, ut & habere eam & colere possimus. aut si quo alio modo mouemur, ut boni simus. Nam si in uerbis satis magna uis esset ad uirtutem: iure profectò Theognidis sententia, magnum illa quidem fructum ferrent, easq; adhiberi oporteret. Nunc uerò ualere illa quidem uidentur ad hortandos excitandosq; liberaliter educatos: ualent etiam ad mores ingenuos imbuēdos, & ad honestatis studium, cum iam mores recta educatione exculti sunt, sed plerosque ad uirtutem non possunt traducere. Neq; enim pudore parere solent, sed metu: nec deterret eos à facinorosa uita ipsa turpitudo, sed pœna. Cum enim se totos uoluptatibus dediderint, suas quisque persequuntur, eá'que omnia ex quibus oriantur, fugiunt'que dolores contrarios. Honesti autem ueræ'que uoluptatis, quam nunquam degustarunt, nec partem norunt ullam, nec unquam nosse uoluerunt. Hos ergo tales homines quæ tandem uis orationis possit à peruersa illa & facinorosa uita ad rectam honestam'que deducere? Non enim potest, aut non facilè potest, si quid est penitus

insitum

insitum moribus, id oratio euellere. Sed contenti esse debemus profectò, si ijs omnibus adhibitis quibus probi uidemur fieri posse, uirtutis compotes simus. Probos autem fieri alij natura putant, alij consuetudine, pleriq; doctrina. Ac illud quidem perspicuũ est, quod à natura ducatur officium, non esse illud quidem in nostra situm potestate, sed à diuina quadam ui ijs suppeditari, qui uerè sint beati. Orationis autem & doctrinæ uis nũquam apud omnes idem ualet, sed debet ante ut humus quæ semen fotura est, sic impotentis animus quibusdam moribus excoli, ut rectè lætari ac dolere possit. Non enim audiat intelligat ue orationẽ dehortantis, is qui pareat perturbationibus. Qui ita sit affectus, quo tandem modo uerbis poterit deduci de sententia? Omnino uerò non oratione uidetur, sed ui perturbatio posse sanari. Quocirca mores antè inesse oportet uirtuti accommodatos, qui & honestatis amore & turpitudinis offensione moueantur. Difficile autem est, cum his legibus talibus non sis educatus ab ineunte ætate, rectam uitæ uiam ad uirtutem ferentem assequi. Nam cum pleriſq; moderate & cõstanter uiuere molestum est, tum adolescentibus maxime. Itaq; præscribi educatio & studia debent legibus. quæ minus molesta futura sunt, si consuetudo adhibea-

hibeatur. Nec uerò satis est quidem ab ineunte ætate educationẽ rationemq; uiuendi rectam sequi, sed confirmatis iam ætatibus omnes oportet in his ipsis studijs uersari, ad eaq; adiungere cõsuetudinem. Atq; in his quidem omninoq; per omne tempus ætatis legibus opus est. Plerique enim ui potius quàm ratione, & pœna magis quàm honestate ad officium impelluntur. Quocirca quidam latores legum putãt debere adhortari & incitare ad uirtutem honestatis studio, quòd consuetudine sint obtemperaturi boni: in eos autem qui parêre nolint, nec generosi sint, pœnas & supplicia constituere. At eos qui à peruersa uita detorqueri nullo modo possint, ex corpore Reipub. exterminare omnino. Nam & bonum uirum qui honeste uiuat, rationi obediturum, & improbum qui uoluptatis cupiditate incensus sit, tanquam iumentum, malo demum coërceri posse. Itaq; pœnas aiunt eiusmodi extare oportere, quæ uoluptatibus quibus erant dediti, repugnent maximè. Si quis igitur bonus futurus est, primum rectè, ut dixi, educari debet, consuetudinemq; exercitationis capere, deinde honestis studijs ætatem conterere, quæq; flagitiosa sunt, nec inuitus, nec sua sponte admittere. Quæ quidem omnia ita fient denique, si quis uitæ ducem rationem sequatur, & cui uis insit,

insit, rectam præscriptionem. Ac patrium quidem imperium nec cogit, nec uim aut necessitatem affert: neque cuiusquã hominis unius omnino, nisi qui rex sit, aut simili aliqua potestate præditus. At uerò lex uim habet ad cogendum idoneam, quæ sit mens ratioque prudentis. Et improbi quidem eos oderunt qui ipsorum obsistant cupiditatibus, etiamsi rectè hoc facere uideantur. At lex non est inuisa, quippe quæ bonum æquumq; decernat. In sola autem Lacedæmoniorum ciuitate, ac paucis alijs, legislatori curæ fuit educationis disciplinæq; ratio. In pleriſq; hæc neglecta sunt omnia, in quib. pro sua quisq; libidine uitã agit: Cyclopumq; more & liberos instituit & uxorem. Ergo omnium rerũ nihil est melius, nihil præstantius, quàm si recta disciplina publicè sanciatur, quam omnes sequi possint. Quæ si publicè negligatur, tum par erit omnes ad uirtutem adiumentum adferre suis liberis & amicis, aut certè uelle. Quæ omnino facultas penes eum erit maximè, qui superiora hæc præcepta secutus, facultate legum ferendarum multũ ualebit. A lege autem publicæ disciplinæ ducuntur, sed rectæ à bonis. Vtrum autem scriptæ sint, an non scriptæ: aut unus ne an multi his instituantur, nihil interſit. sicuti nec in musica, nec in gymnastice, alijsq; studijs.

Vt enim in Rep. ius legitimum & consuetudo, sic domi priuatim, rationes paternique mores & instituta valent, eoque magis, quod generis inter eos & beneficiorum intercedit communio. Amicitiam enim natura inter eos, animorumque ac uoluntatum consensionem peperit. Iam uerò ut in medicina, sic hic priuatæ à publicis disciplinæ differũt. Nam generatim omni homini qui æstu febriq; iactatur, prodest inedia & quies: at alicui forsan non prodest. Nec certè ludimagister pugilibus omnibus idem genus pugnæ præscribit & constituit. Priuatæ autem res ita demum tractabũtur accuratius, si disciplina priuata adhibeatur. Omnes enim utilitatem sequuntur libentius. Sed ita denique summam curam & diligentiam rebus singulis & medicus & gymnastes & quiuis alius adhibiturus est, si genus totum intelligat omnibus prodesse. uel his, uel illis. Scientiæ enim dicuntur ac sunt rerum uniuersarum propriæ. Et quãquam nihil fortè prohibet rectè curare aliquid eum, qui sit ille quidem inscius, sed tamen omnia notarit et obseruarit quæ quamq; rem cõsequãtur, sicuti etiã sunt quidam medici qui suo iudicio sunt clariß. et tamen alteri nihil opis ferre posßũt, tamen nihilo minus ad res uniuersas debet contendere, easque tenere quoad eius fieri poterit, is quidem qui se

qui se doctum & artificem esse uelit. In his enim artes dicimus consistere. Ac si quis suo studio & diligẽtia siue multos siue paucos meliores uelit efficere, et danda opera est ut ad leges imponendas aptus esse uideatur. siquidẽ boni futuri sumus legibus. Neq; enim in cuiuslibet situm est potestate, ut quemuis etiã quem sibi proposuerit, rectè afficiat: sed si quis hoc potest, profectò peritus et doctus. id quod in medicina uidere licet, reliquisq; rebus omnibus, quarum est disciplina. Sed deinceps exquirendum est, unde, aut quo tandem modo quis rationem condendarum legũ possit assequi: an ut in cæteris fit, ab ijs id petendum est, qui ciuili scientia sunt præditi. pars enim ciuilis scientiæ uidebatur. aut certè non idem fit in ciuili sciẽtia, quod in reliquis scientijs & facultatibus omnibus. In alijs enim eosdem constat, & artem ipsam tradere, et eadem duce fungi munere, ut medici, & pictores faciunt. Atqui res ciuili scientiæ subiectas se profitentur Sophistæ esse docturos, se autem ea gesturũ esse nemo profitetur, sed ij qui Rempub. gerunt, qui hoc ipsum ui quadam & usu potius præstare uidentur, quàm consilio atq; ratione. Neq; enim aut hæc mandant literis, aut de ijs disserunt, etsi præstantius sit profectò quàm uel iudiciales orationes, uel cõciones.

Nec

Nec uerò ciuili scientia erudierunt suos liberos, uel alios amicos, quòd certè consentaneum fuisset, id si præstare potuissent. Non enim aut Reipublicæ quicquam melius hac ui & facultate relinquerent, aut sibi adesse malint, aut ijs etiam quos habent charissimos. Non tamẽ uidetur parum adiuuare exercitatio. Neque enim scientiæ ciuilis consuetudo eos ad Rempublicam gerendam paratiores et instructiores faceret. Quocirca qui ciuilis scientiæ studio trahuntur, ijs necessaria experientia est. Qui autem Sophistæ hanc profitentur scientiam, procul admodum ab eo absunt ut doceant: quippe qui omnino nec quid sit ipsa norint, nec quibus in rebus uersetur. Nõ enim eandem quam Rhetoricem, nec inferiorẽ ponerent: nec facilius esse putarent ferre leges, ei qui probatas leges unum in locum contulisset. licere enim deligere optimas, quasi delectus non sit prudentiæ, & iudiciũ uerum non sit omnium maximum. Quod in musicis animaduerti potest. Qui enim in rebus singulis exercitati sunt, ij uerè de officijs factisq; iudicant: quibusq; rebus & quemadmodum perficiatur decorum, intelligunt, & quæ quibus congruant. At imperiti contenti sunt, dum nõ ignorent, rectè ne res acta sit, an præpostere. quod in pictura contingit. Cum autem leges

rebus ciuili scientiæ subiectis sint similes, quo tandē pacto quisquam per eas scientia legum ferendarum erit instructus? aut quæ optimæ sint iudicabit? Non enim medici habendi sunt ij qui habent cognita quæ libris medicorum traduntur: etiamsi non solum curationes conentur nominare, sed etiam ægros curari posse, & quemadmodum sint adhibendæ curationes, suis cuiusq; expositis affectionibus. Quæ exercitatis & peritis omnia magnum adiumentum adferant, inscijs non item. Ita legum ac rerum publicarum collecta instituta eos adiuuabunt, qui rectè ne, an contrà, aut quæ quibus conueniant, cognoscere ac iudicare poterunt. At qui ea euoluent & percurrent, sine quadam animi affectione, ut nunquam uerum inde quidem iudicium comparare possint, nisi fortuitu, at certè prudentiores in his sunt futuri. Quoniam igitur superiores prætermiserunt quæ ad scientiam legum ferendarum pertinent, de ijs disputare est melius, ac de toto genere Reipub. ut quæ in rebus humanis uersatur Philosophia, à nobis quoad eius fieri poterit undique suis partibus omnibus perfecta absolutaq; uideatur. Ac primum quidem si quid à maioribus rectè traditum sit, exponam: deinde ex ijs rebus publicis quas collegimus, quæ res euertant Resp. perspi-

cientes,

ciemus, & quæ conſeruent: & quid ita aliæ rectè, aliæ contrà, adminiſtrentur. His enim cognitis, facilimè, & quæ omnium optima ſit, & quemadmodum ſingulæ conſtitutæ ſint, & quibus legibus inſtitutiſq; utantur, intelligemus.

FINIS.

ERRATA INTER EXCVdendum commiſſa, ſic emenda.

Pag. 2. uerſ. 9. legend. agendarum 12. 17. ualetudinem & 18. Medetur 28. 12. in margine aſcribēdus capitis numerus, 12. 54. 24. dele ad 69. 21. intendunt 98. 20. dele li 110. 1. ſumptu 117. 23. queritur 118. 15. ſpoliat & 16. indignum 135. 15. appetunt 147. 12. in marg. pone numerum cap. 5. 162. 17. pro ferro 171. 12. rectæ 179. 24. & illæ in ijs rebus 182. 4. quidem 185. 10. in marg. pone numerum cap. 9. & 12. intelligendum 197. 9. appellare Diuum 198. 5. laudabilibus 210. 11. qualis 211. 15. etiamſi mus 213. 21. eſſe tractum 215. 15 dele ta 217. 24. impeditus 227. 21. dele co 246. 12. Et quibus 270. 14. omnia tamen 312. 11. perfectiſſima

RERVM ET VERBORVM IN Ethicorum libris memorabilium INDEX.

A

Accipiendo nimij qui. 105
Acerbi. 122
Actio & affectio artis non idem 176 177
Actio omnis ad bonum 1
Actio optima cuius maximè 312. item perfectißima. eadem.
Actio uoluntaria, aut nõ uoluntaria quæ 59
Actionis omnis principiũ, propositum & consilium. 173
Actionis omnis finis ex animi habitu ponderandus pag. 81
Actionis finis in quo. 59
Actioni alius quàm effectioni propositus finis 178
in Actione cõsistere uirtutẽ, non uerbis. 43
Actiones actuum fines 2
Actiones & habitus nõ eodem modo uoluntarij 77
Actiões hominis uel ab irâ, uel à cupiditate 64
Actiones rerum uoluptate absolui 313. 314. inde
Actiones unde gignantur pag. 74
Actionum auctor, & principium homo quasi liberorum 73
Actionum distinctio 319
Actionum eadem quæ uoluptatum ratio 316, 317
Adolescentes cur non prudentes 184
Adolescentes uerecundiam decere maxime 132
Adolescentiũ amicitia 240 241 246 247
Adulterorum audacia 85
Aequabile, inæquabile 142

Aequa-

Aequabilitas 141. 145. & 146
Aequale quid 45
Aequalis æqualem delectat pag. 262
Aequalitas amicitia 252
Aequalitatis ratio in amicitia 250
Aequitas eadem cum iustitia 163
Aequitatis ad iustitiam ratio 165 166.
Aequum 141
Aequum & bonum quid pag. 166
Aequum quando quis faciat 157
Aequi & boni ratio ad ius 165. 166. inde
Aequi & boni uis in quo pag. 167
Affabilis 52.124.125.297
Affectiones tres 53
Agamemnon cur pastor populorum Homero dictus pag. 258
Agathonis dictu 174.177
Agrestis 52. 129
Alcmæon Euripidis 60
Aleatores auari. 105
Amabile quid 237. & in eo quid sequamur 238
Amandi causæ quæ 238
Amantum inter se cuiusmodi affectus 245
Amare unumquemq; quod sibi bonum est 238
Amatores ridiculi 253
Amatorum inter se querelæ 270
Ambitio 51 120
Ambitiosus 50 51 119
Ambulare recte 133
Amentia unde 211
Amicitia ad usum uitæ maxime necessaria 235
Amicitia æqualitas 246 252 287
in Amicitia cuiusmodi æqualitatis ratio 250.251
Amicitia pro beneuolentia 238 239
Amicitia non idem quod beneuolentia 281 282

Amicitia communitas quædam 300
Amicitia constans & dura tura quæ 270 271
Amicitia ex aspectu 282
Amicitia excelliẽs unius cũ uno 297
Amicitia improborum mala. 301. bonorum præclara. eadem
Amicitia iucũditatis gratia conflata cuiusmodi 243 item utilitatis 242. 243 244. 247. 253. (236
Amicitia iustitiæ uicaria
Amicitia magis in eo ut colas quàm ut colare 251
Amicitia maxime inter bonos 246
Amicitia omnis in societate & communione 260
Amicitia perfecta quæ 241 cur rara. 242. inde
Amicitia perfecta solum in bonis 243 244
Amicitia proprie quæ 244
Amicitia quæ cuiq; secũ est, nimia 280
Amicitia qualis in adolescẽtibus & senibus 240
Amicitia qualis in unoquoq; rerũpub. genere 258
Amicitia quatenus inter malos 243 244
Amicitia similitudo 236. 252
Amicitiæ commendatio 235
Amicitiæ cuiusmodi facile dirimantur 240
Amicitiæ dimittendæ ratio 276 277
Amicitiæ et iustitiæ quatenus nõ eadem ratio 250
Amicitiam & iustitiam in ijsdem uersari 254
Amicitiæ fons benecuolentia 282
Amicitiæ genus unũ an plura 237. eiusdem tria genera 264 239
Amicitiæ genera plura 244
Amicitiæ gradus 236
Amicitiæ proprium 264
Amiciti æ prouerbia 287
Amicitiæ similis concordia

pag. 236
Amicitiæ ueteri aliquid tribuendum 278
Amicitiam diuturna absentia deleri 245
ad Amicitiam minus idonei qui 245 246 260
Amicitiam non tolli locorũ interuallis 245
Amicitiam omnẽ uel ad fructum dirigi, uel ad uoluptatem 242 243
Amicitiam perfectã instituicũ multis nõ posse 247
Amicitiæ celebres inter duos 297
Amicitiæ in excellentia & præstãtia cuiusmodi 249
Amicitiarũ cõpa- (250.259
ratio & proportio 270
Amicitiarum ius 254
Amicitiarum querelæ 264 265 267
Amicitias multas diremisse silentium. prouerb. 245
Amicus alter idem 279 291 295
Amicus maximus qui 287
Amici proprium 300
Amico quatenus communicandũ dolore 299. 300
Amicum ab assentatore distare plurimum 309
Amicũ quẽq; suũ bonis affici uelle, quõ dictum 251
Amici ad prosperitatũ communionẽ ultro uocandi, calamitatũ uerò non itẽ
Amici an multi (299.300
parandi 295. inde
Amici an uitam uiclũq; cõmunẽ maxime exoptent
Amici beneuolẽ- (300.301
tia inter se colligati 239
Amici multi assẽtatores, unde 251
Amici qui 279
Amici rebus secundis an ad uersis magis desiderẽtur
Amicorum bona cõ- (298
munia. prouerb. 254
Amicorum omnia cõmunia
Amicorum dissidia (287
unde potissimum 276

Amicorum diuersitas 245
Amicorũ multitudinis certi fines & termini 296
Amicorum præsentia cur dolores leuiores 298 & 299
Amicorum præsentia in omni fortuna expetẽda 300
Amicorum quid maxime proprium 245
Amicorum res etiã ad mortuos pertinere 27 28
Amicorũ uis omnis in amore 252
Amicorum usus 235
Amicis an etiam beati egeant 291 292
Amicis nihil melius aut magis inter externa bona pag. 291
Amor actioni similis 286
Amor ex aspectu 282.300
Amor non idem quod beneuolentia 281
Amor perturbationi similis, amicitia habitui 246
Amor pro dignitate impendendus 250
Amor sui ipsius, aut odium 280
Amor sui ipsius quatenus probandus, aut non 288 inde 291
Amore digna solum bona pag. 276
Amores & amicitiæ quo differant 239
Anacharsidis de ludo semẽtia. 321
Analoga 142
Anaxagoras sapiens cur, non autem prudens 182
Anaxagoræ de beato sententia 329
Anaxandridæ dictum 224
Animantia in labore esse perpetuo 233
Animus moribus excolendus 332
Animus pusillus, seu paruus pag. 50
Animi bona 18
Animi cognitio necessaria uiro ciuili 31

Animi elatio 50
Animi facultates, habitus, perturbationes 43
Animi impotentia quàm cupiditatum minus turpis pag. 212 214
Animi magnitudo 50 111 uide Magnitudo
Animi partes ac uires 31 32 43 172. eorumq; diuisio cad.
Animi uirtutũ diuisio 172
Animi uis rationis expers 32. duplex 33
ἀπειροκαλία 50
Appetitus 173
Aqua grauis, insalubris pag. 184
cũ Aqua guttur præfocat, quid iam attinet bibere? prouerb. 201
Arbiter honorarius 145
Argiui in Lacedæmonios pro Sicyonijs 87
Aridi 104
Aristocratiæ in oligarchiã defectio 257
Arrogans 52 126 128
etiam audax 81
Arrogans ueraci oppositus pag. 129
Arrogantia 52
Arrogantiæ mediocritas pag. 126
Arrogantiæ species, sua nimium & extollere & extenuare 128
Ars & fortuna in ijsdem rebus 177
Ars nulla non habitus 176
Ars omnis ad bonum 1
Ars quid, & circa quæ 176 & 177
Artis effectio aliud, aliud actio 176
Artes opus omne in bonis pag. 226
Artis in quibus sitæ 335. 336
Artes sæpius in deliberationem cadere quàm scientias 68
Artificum amor in sua cuiusq; opera 285
Artium & uirtutum nõ ea-

dem ratio 42
Artium omniũ ratio eadem quæ uirtutum 35
Artium prouentus 17
Asinos stramen malle quàm aurum 317
Assensionum ratio 205
Assentator 52.125. ab amico plurimum diuersus
Assentatores multi (309
pro amicis, unde 251
Assentatores seruiles & humiles 117
Auaritia 50 97 102
Auaritia ex senectute et imbecillitate 104
Auaritia iure liberalitati opposita 106
Auaritia magis naturalis q̃ prodigalitas 104
Auaritia malum prodigalite maius. 106
Auaritiæ malum insanabile 104
Auaritiæ multi modi 104
Auaritiam duabus rebus cerni 104
Auarus 50
Auarum prodesse nemini, ne sibi quidem 103
Auaro prodigus multo melior 102 103
Auari sceleśti & impij qui (105
Audax. 38.49.81
Audere. fidentis animi 82
Audire cur nõ molestiũ 233
Auium carnes leues 182

B

Βαναυσία 50
Beatitudo. uide Felicitas
Beatitudo. 5. in quo sita. 7. 20.25.30.230. quatenus in uoluptate. eadem
Beatitudo actio uirtuti congruens 321
Beatitudo an habitus 319
Beatitudo dei in quo 328
Beatitudo, finis 27
Beatitudo in actiõe 292. cognitionis & contemplationis 327
Beatitudo in ocio cõstituta
Beatitudo rerum humanarũ finis (323 319. 321

Beati-

Beatitudo ſeipſa contenta
Beatitudini neceſſaria bona externa 21 (319
Beatitudinẽ ꝓpter ſe expeti
Beatitudinem quomodo efficiat ſapientia 192 (323
Beata uita hominis abſoluta cuiuſmodi 324
Beata uita quæ. 30. quibus in bonis potiſſimum numeretur 29
Beata uita in uirtute 321
Beatus an qui ſolitarius 291
Beatus an qui ſquã, dum uiuit appellandus 23.24
Beatus cur μακάριος Græcis
Beatus, nullo pacto miſer 26 (225
Beatus qualis 25. quis 27.
Beatus, uere bonus, quadratus, &c. 25 (329
Beati appellatio quibus cõpetat 22 23
Beato amicis opus, an non 291 292
Beatum eſſe 5
Beatum non fieri inuitum, quomodo dictum 73
Beatorum amici cuiuſmodi pag. 248
Beatos etiam ſocietatem deſiderare 245. & iucunditatem 248
hinc illinc q; altitudinem assumpsit. & ita dextra detrusit in læuam partem oculorum, læua q; in dextram. Supina etiam ora cernuntur depulsione luminũ, quæ conuertens inferiora reddit quæ sunt superiora. Atqui hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adiuuant causas, quibus utitur ministris Deus, quum optimi spectem quoad fieri potest efficit. Sed æstimant plerique non hæc adiuuantia caussarum, sed has ipsas esse omnium caussas, quæ uim habeant frigoris & caloris, concretionis & liquoris: careant autem omni intelligentia atq; ratione, quæ nisi in animo nulla alia in natura reperiantur. Animus autem sensum omnem effugit oculorum. At ignis, & aqua, & terra, & aër, corpora sunt, eaq; cernuntur. Illum autem qui intelligentiæ sapientiæq; se amatorẽ profitetur, necesse est intelligentis sapientisq; naturæ primas caussas conquirere: deinde secundas caussas rerum earum, quæ necessario mouent alias, ipsæ ab alijs mouentur. Quocirca nobis sic cerno esse faciendum, ut de utroq; nos qui dem dicamus genere causarum separatim, tam de his quæ cum intelligentia sunt efficientes pulcherrimarum rerum atq; optimarum, quàm de his quæ uacantes prudentia, inconstantia, perturbata quæq; efficiunt. Ac de oculorum quidem causis, ut haberent eam uim quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto. Maxima autem eorum utilitas donata humano generi deorum munere, deinceps explicetur. Rerum enim optimarum cognitionem nobis oculi attule-

runt. Nam hæc quæ est habita de Vniuersitate oratio à nobis, haud unquam esset inuenta, si neque sidera, neq; sol, neq; cœlum sub oculorum aspectum cadere potuissent. Nunc uero dies noctesq; oculis cognitæ, tum mensium annorumq; conuersiones numerum machinatæ sunt, & spacium temporis dimensæ sunt, & ad quæstionem totius naturæ impulerunt. quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nullum optabilius, nullum præstātius, neq; datum est mortalium generi deorum concessu atq; munere, neq; dabitur.

γον, διὰ θεοὺς αὖθ' ἡμῖν δεδώρητο, μετὰ τοῦτο ῥη-
τέον. ὄψις δὴ κατὰ τὸν ἐμὸν λόγον αἰτία τῶν μεγί-
στης ὠφελείας γέγονεν ἡμῖν, ὅτι τοῦ νῦν λόγων περὶ
τοῦ παντὸς λεγομένων, οὐδεὶς ἄν ποτε ἐῤῥήθη, μή-
τε ἄστρα, μήτε ἥλιον, μήτ' οὐρανὸν ἰδόντων. νῦν δ'
ἡμέρα τε καὶ νὺξ ὀφθεῖσαι, μηνές τε καὶ ἐνιαυτῶν
περίοδοι, μεμηχάνηντο μὲν ἀριθμὸν, χρόνου δ' ἔν-
νοιαν περί τε τοῦ τοῦ παντὸς φύσεως ζήτησιν ἔδο-
σαν, ὃς ὧν ἐπορισάμεθα φιλοσοφίας γένος, οὗ μεῖ-
ζον ἀγαθὸν οὔτ' ἦλθεν οὔτ' ἥξει ποτὲ τοῦ θνητῷ γέ-
νει, δωρεθὲν ἐκ θεῶν.

IOACHIMI PERIONÍ in Ciceronis lib. de Vniuersitate Obseruationes.

VM locos quosdam corruptos apud Ciceronem, his duobus libris cõiungendis, restituissem, quorum partim in ipso libro adhibui, partim notare tantum malui: duosq; etiam locos, qui, nescio quo casu, certe magno damno studiosorum conuersi à Cicerone interciderunt, conuertissem: eosq; inter Ciceronianam interpretationem nollem interijcere, ne tandem aliquando pro Ciceronianis haberentur: hæc omnia mihi separatim tradẽda putaui, quo facilius facti mei constaret ratio, & studiosis aliquid prodeße possem. Nam cũ omnes ex ijs quæ trado, quid quantumq; desit in hoc libro intelligent, librumq; ipsum multis locis correctum uidebunt: tum eos fructum aliquem laboris nostri percepturos, & factum meum probaturos esse confido. Sed ut ad rem ueniam, hic primus locus occurrit.

Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquũ percunctatione consumpsimus.) In alijs libris corruptè positum est, At quod omnes mihi concessuros spero, qui quidem hoc genus dicendi Ciceronẽ intellexerint mutuatũ esse à Græcis. Illi enim dicũt μὲν δὲ, Cic. Ac quidẽ, Atq; quidẽ, particula interiecta. Itaq; hoc græcè dici potest,

potest, πρῶτον μὲν οὖν γρόνον, &c. Quæ autem sit percunctatio qua ait reliquum tempus à se consumptum esse, si quæramus, nonnulli quidē qui proximè opera Ciceronis uniuersa ediderunt, de sententia alterius, quæ sequitur, Quid est quod semper sit, &c. eam non esse primā sentiunt. Itaq; multa deesse confirmant. Ego autem, & hanc omnium primam esse tractatam quæstionem, & nihil hoc loco deesse puto. Quod uel hinc intelligi facillime potest, quia cum Cicero suum de Vniuersitate librum ex Timæo Platonis transtulerit, uerisimile est inde eum quærendi & disputandi initium fecisse, unde Plato fecerit. Is autem ab eodem loco, quemadmodum intelligi ex libro potest, instituit disputare. Ac forte de est pronomen hac, ut dicat, Reliquum hac percunctatione consumpsimus, ut respondeat illi loco Platonis quē primum posuimus, ἔστιν οὖν δὴ κατ' ἐμὴν δόξαν, πρῶτον διαιρητέον τάδε, τί τὸ ὂν μὲν ἀεὶ, &c.

De ijs igitur quæ diximus, hæc sit prima distinctio in omni oratione cum ijs rebus de quibus uidetur expcata cognatio.) In alijs omnibus emendandus est hic locus. Cognatio enim, non cognitio dicendum est. quod uel Platonis locus declarat maximè. Est enim scriptum apud eum συγγενεῖς ὄντας λόγους, quod Cicero adiectiuum ad substantiui transtulit significationem. sensus autem est, Verba rebus esse accommodanda: nec uerba solum, sed rationem tractandæ orationis, ut tantum dicamus & quæramus, quoad rerum de quibus agitur natura paiatur.

Cum

Cum rationem igitur habuisset, reperiebat, nihil esse eorum quæ natura cernerentur, non intelligens intelligente in toto genere præstantius.) Non intelligens esse dicendum, cum sententia indicat, tum Platonis locus. ἀνόητον enim legitur. Emendandi sunt ergo alij libri, in quibus est, intelligens solum, pro nõ intelligens. Et profectò si sic legatur, falsum est quod Plato ponit.

Quòd si uniuersitatis corpus planum & æquabile explicaretur, neq; in eo quicquam esset requisitum, &c.) Requisitum nec Cicero dixit, nec recte cohærere posse puto. est enim apud Platonem, βάθος ἔχον, quod dimensionem corporis significat, quasi nihil habeat & contineat altitudinis & profunditatis.

Sed cum soliditas mundo quæreretur, solida autem omnia uno medio nunquam, duobus semper copulẽtur, ita contigit, ut inter ignem & terram, aquam aeremq; poneret.) Quotiescũq; positum est aëris uocabulum in quouis casu, cum in ueteribus libris, in cursu orationis idem nomen, in margine autem pro uaria lectione, nomen animæ notatum esset: tamen quidam, qui proxime hunc librum cum cæteris edidit, nescio quo consilio, aut temeritate potius ductus, illo uero sublato, falsum hoc addidit. Idq; eo minus ferendum est, quòd uerum nullo loco dignum existimauit. Quod idem fecit multis alijs locis. Mihi quidem certe ante etiam quàm hunc Ciceronis librum cum Platonis coniunxissem, non erat dubium, quin aeris nomen esset legendum. Enumerat enim quatuor prima rerum initia, & quasi elementa, in qui-

in quibus aerem haberi quis ignorat? Postea uero quàm coniunxi hos libros non solum hæc mea confirmata opinio est, sed etiam uulgo enuncianda uisa fuit. præsertime cum apud Platonem semper his locis ἀὴρ ἀέρα, &c. legantur.

Idq; ita tornauit, ut uihil effici posit rotundius, nihil ut asperitatis haberet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum, omnesq; partes simillimæ omnium, quoad eius præstabat iudicio, similitudini dissimilitudo.) His tot uerbis Cicero transtulit hãc Platonis breuissimã orationẽ, λυκλοτερὲς αὐτὸ ἐτορνεύσατο πάντων τελειότατον ὁμοιότατόν τε αὐτὸ ἑαυτῷ σχημάτων, νομίσας μυρίῳ μᾶλλον ὅμοιον ἀνομοίου. Nam λυκλοτερὲς σχῆμα, ut intelligi potest, non solũ interpretatus est, uerũ etiam suo splendore quasi illustrauit. In quo mihi quidem interpretis officio functus non uidetur. τελειότατον in accusatiuo lego, non τελειοτάτων in genituo pluraliut duo ei figuræ attribuat, & summam rotunditatis perfectionem, & maximam partium omnium inter se similitudinem. Id ut putarem, me admonuit illud τε adiectum superlatiuo ὁμοιότατον. ualet enim &, uel quæ, ut eo loco, sic apud Platonem sæpissime. Itaque Cicero illa duo membra tractauit alijs duobus. Illud Ciceronis, Omnes quæ partes simillimæ, nisi uerbum sunt intelligamus, recte non stabit. Ego malim in accusatiuo Simillimas, ut ad uerbum Haberet pertineat. Illud uero, quod sequitur, Quoad eius præstabat iudicio, similitudini dissimilitudo

militudo, omnino corruptum est. Neq; enim similitudini dissimilitudo, sed contrà similitudo præstat dissimilitudini in quo illud præstat, pro pulchrius est dixit. Est enim apud Platonem κάλλιον. Ita autem non esse legendum, Platonis uerba declarant. Nam ita est scriptum, κάλλιον ὅμοιον ἀνομόιου, id est, præstat similitudo dissimilitudini. Cicero enim sæpe ab adiectiuo, quod uocant Grammatici, ad substantiuum rei transfert dicendi genus. Ergo pro quo ad dicendum est quòd. Cuius consilij & facti mei rationem exponendam putaui. Cicero participijs perquàm raro utitur, libentiusq; pluribus dicit, quod participijs efficit. Itaq; νομίσας dixit, quod eius iudicio, non existimans, aut iudicans. Sic enim solet dicere, Quòd existimaret, quòd putaret, quòd iudicaret: raro, existimans. In illo enim νομίσας, incluſa est causa & ratio facti. Mea igitur sententia, hic locus restituendus est hoc modo: Quod eius præstabat iudicio, dissimilitudini similitudo. Hic error traiectione syllabæ natus est.

Et cum tria sumpsisset, unam in speciem temperauit, naturamq; illam, quam alterius diximus, ui cum eadem coniunxit.) Vi dicendum est, non uel, ut in cæteris positum est. Est enim apud Platonem scriptum βίᾳ.

Eius autem particulæ interuallo relicto, habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationemq; in extremis, quam habent CCLVI, cum CCXLIII. atq; ita permixtũ illud ex equo hæc secuerat, etiã omne consumpserat.) In cæteris falso scriptũ est, est sequi pro secuerat, uel certe secabat. Est enim apud Plato-

Platonem κατέτμηκεν.

Ratio autem uera, quæ uersatur in ijs, quæ mutantur.) In alijs utraq; legitur, pro uera. Sunt enim hæc uerba eius, superioribus Ciceronis respondentia, λόγῳ δὲ ὁ κατὰ ταυτὸν ἀληθὴς γινόμενος.

Cũ autem in illis rebus uertitur, quæ manẽtes semper eædem, nõ sensu, sed intelligentia continentur.) Hic locus in ijs libris quos ediderũt librarij ante annos duodecim, ita cum sequenti coniunctus erat, quasi perpetua ea esset et cõtinuata oratio. Primus Badius paucis annis quàm excessisset è uita, & hunc eundẽ à reliquis separauit locis, et multa deesse animaduertit, et notauit. Quid autem & quantũ deesset, nemo adhuc, quod quidem sciam, nec intellexit, nec exposuit. Ego qui utrumq; cõiungendis græcis cum latinis assecutus essem, me de studiosis discendi bene mereri posse speraui, si id scriptum reliquissẽ. Nec uero locũ eum totum, qui deest, inter ea quæ à Cicerone conuersa sunt interijciendũ suo loco putaui, quod uererer ne quando illa mea pro Ciceronis haberẽtur atq; legerentur. Ac illa quidem uerba, Ita uim suam natura cõuertit, quæ in superioribus libris cõiuncta sunt cũ loco superiore, & illa, Ius natura conuerteret, quæ in posterioribus ad locũ qui sequitur, uoluerũt librarij pertinere, falso utriq; posuerunt. utrorumq; autẽ error hinc manauit, quòd priores ita consentire & quasi conspirare secum omnia posse putauerũt: posteri solum cum proximo loco illa uerba uoluerunt.

Sic legendum est, Isq; orbis, qui eiusdem naturæ est,

apte se torquens & uersans, eadem denunciat: tum de-
nique necessariò intelligentia & scientia absoluitur. In
quo autem hæc innata sint, id si quis alio nomine quàm
animi appellauerit, uehementer errabit. Cumq; hoc ef-
fectum à se exemplar, moueri ac uiuere, æternorum de-
rum effector & parens intelligeret, maxima est uolup-
tate affectus, ut magis æternitatis similitudinem imitari
cogitaret. Itaq; ut sempiternus ipse animans est, et hæc
ipsa uniuersitas, sic talem animũ quoad fieri potuit ab-
soluit. Ita animantium quidem natura sempiterna effe-
cta est, quod quoniam naturæ, quæ generata est omnino
accommodari non potest, idcirco imaginem æternitatis
mobilem condere statuit, & quod cœlum ornari uoluit
fecit permanentis in eodem statu æternitatis, in numero
fluens, æternum exemplum, quod tempus dicimus. dies
porro & noctes, & menses & annos, cum ante condi-
tum cœlum non essent, simulatq; illa composita fuerũt,
ijs dedit ortum & originem. Sed cum hæc ipsa tempo-
ris sint particulæ, illa etiam fuit & erit generati tempo
ris species, profectò inscite ea ad eam rem quæ semper
manet, eadem accommodamus. Nam & fuisse eam, &
esse & fore dicimus, cum si uerum fateri uelimus, ipsam
esse tantummodo prædicare debeamus, & illa fuisse, et
fore, quoniam in motu sunt, in ijs rebus uersari deceat,
quæ generatæ in tempore labuntur & fluunt. At uero
res quæ semper in eodem statu manet, omnisq; motionis
expers est, nec se antiquiorem, nec iuniorem unquam ef
fici, nec extitisse adhuc, aut fore in posterum conuenit.

Nec

Nec quicquam recipit eorũ. Quæ ijs naturis ortus affixit & attulit, quæ sensibus sunt præditæ, quæ eadem temporis, cui ad imitandum proposita est æternitas, quodq; numero uertitur, genera extiterunt. Præterea hoc sæpe dicimus fuisse quod fuit, & quod est esse, & fore quod sit futurum, quorum nihil præclare dicimus. Ac de his quidem si accurate in præsentia disserere uelim, nullum tempus satis esse possit. Ergo una cum cœlo tempus ortum est, ut quoniam una genita sunt, simul etiam intereant, si modo unquam eorũ futura est diremptio. idq; ad exemplum æternæ naturæ effectum est, ut quàm maxime possit, ipsum imitetur. Nam mundus ille huius exemplum sempiternum solus per omne tempus, & fuit et est, & futurus est. Cum hanc igitur Deus habuisset in generando tempore rationem, sol, luna, aliæque sunt quinque quas errantes appellamus, stellæ generatæ, quæ si termini, custodesque numerorum. Quæ parens & ædificator, septem corpora cum effecisset, in orbibus septem, per quos alterius naturæ conuersio iret, sic collocauit.

Itaq; cõuersatione quam inter se habẽt, lucifer, mercurius, sol, alij alios uincũt, uicissimq; uincũtur.) In libris quannis superioribus editi sunt legitur, eaq; cõuersione, &c. In ijs qui proximè excusi sunt, scriptũ est, eaq; cõcursatione, inter se habent, &c. Ego pro ea que, itaq; legendum puto, quoniam apud Platonem est ὅθεν, quod itaq; efficit. Nullum uerbum est apud Platonem, quod illis duobus respondeat. Sed tamen mihi concursationis

magis probatur nomẽ, quàm conuersionis. Est enim cõmunis quædã illis stellis non conuersio, sed cõcursatio: quippe cũ sententia Platonis cursum habeãt solis celeritati parem.

Omnes orbeis eorum quasi helicis inflexione uertebat, quia bifariam contrarie simul procedentia efficiebant, ut quod eßet tardißimum, id proximum fieret celerrimo.) Legẽdum est, quasi helicis inflexione, non quasi facilitatis, ut in plerisq;. Est enim apud Platonem τρέφουσα ἕλικα. Proclus explicat hanc helicis inflexionem. ponit enim, medium tenere inter rectam motionem & circumuectionem: quasi dicas, participẽ utriusq; generis. Verba eius adhibui, quo hic locus facilius intelligi poßet. καὶ τὸ σχῆμα τῆς ἕλικος οὐκ ἔστι σύμπτωμα κινόν, ἀλλὰ τὴν μεσότητα συμπληροῖ τῶν τε εὐθυπορουμένων, καὶ τῶν κυκλοφορουμένων σωμάτων. κύκλος μὲν γὰρ, ὡς εἴρηται, μόνον ἐπὶ τῆς ἀπλανοῦς, εὐθεῖα δὲ ἐπὶ τῆς γενέσεως, ἡ δὲ ἕλιξ ἐπὶ τῶν πλανωμένων, σύμμιξιν ἔχουσα περιφερείας τε καὶ εὐθείας. id est, Nec uero species motus helicis frustra comparata est, sed medium locum explet eorũ quæ recta linea ferũtur, quæq; circumuehuntur. Circuitus enim ijs solum, ut dixi, datus est, quæ inerrantes uoãtcur, recta progreßio ortui. Helix autem ijs stellis quæ errare dicuntur, cum ex circumuectione sit & recta motione conflata. Hoc loco lego, Quia bifariam, non ut alij, quam bifariam, quoniam apud Platonem est, διὰ τὸ διχῇ, &c.

Quinq; autem reliquis motibus orbem eum eße uoluit immobilem & stantem.) In alijs uitiose positum est

Expertem,

Expertem, immobilem & stantem. Nam & Cicero expertis uocabulo nunquam dat ablatiuum, & apud Platonem est solum ἀκίνητον καὶ ἑστώς.

Fusiones autem deorum) Iis qui proxime impressi sunt, flexiones. Apud Platonem est κρεμάσας.

Vos qui deorum satu orti estis attendite. Quorum operum ego parens effectorq; sum, hæc sunt indissoluta me inuito.) Sic in omnibus quos quidem legerim, scriptum reperi. Illud quidem me inuito, non potest consistere. Nam contrà potius legẽdum est, Me non inuito. siquidem apud Platonem est ἄλυτα ἐμοῦγε θέλοντος. Apud diuum Augustinũ in lib. 13. de Ciuitate, cap. 16. melius est nutu meo, ἐμοῦ γε θέλοντος. & tamen hæc ipsa uerba dum profert Cic. interpretationem nominat. Illud indissoluta, non probo. ἄλυτον enim non indißolutũ dicitur, sed indissolubile. Et sic D. Augustinus legit.

Cũ autem animos corporibus inseuisset.) In alijs uitiose positum est contrà, Cumq; animis corpora inseuisset. Qui error adeò planus est & perspicuus, ut mirer eum à nemine esse animaduersum. Nam quis corpora animis inseri dicat? Platonis hic locus facile indicat, ὁπότε δὴ σώμασιν ἐμφυτευθείη.

Necesse erat sensum existere unum, communemq; omnium, uehementiore motu concitatum, coniunctũq; naturæ.) In alijs pro concitatum & coniunctũ, posita sunt hæc in ablatiuo, cõcitato & coniuncto. Sed Platonis lectiõe facile intelligi potest, ita ut posui, legẽdũ esse. Apud eũ enim hi sũt duo accusatiui, αἴσθησιν σύμφυλον.

Deinde ut huic animanti principem se ducemq́; præberet, uitamq́; eius pulcherrime regeret, & gubernaret, nisi quatenus ipse sua culpa sibi aliqd miseriæ quæreret.) In exemplaribus ferè omnibus, interiectum fuit nescio quo modo beneficijs. Ita enim scriptum est, Nisi quatenus ipse beneficijs sua culpa, & c. Quod cum intelligeret quidam qui proxime hunc librum cum cæteris Ciceronis edidit, hunc errorem ut corrigeret enixus est, & similem induxit. Ita en im in libro quem impreßit legitur, Quatenus non ipse benefactus, sua culpa sibi aliquid miseriæ quæreret. Sic & illud Nisi sustulit, & pro beneficijs, benefactus posuit. Ego si Platonis uerba subijciam, spero me omnibus consilium factumq́; meum facile probaturum. τὸ δὲ μετὰ τὸν σπόρον τοῖς νέοις παρέδωκε θεοῖς σώματα πλάττειν θνητά. τό, τε ἐπίλοιπον ὅσον ἐστὶ ψυχῆς ἀνθρωπίνης δέον προσγενέσθαι, τοῦτο καὶ πάνθ' ὅσα ἀκόλουθα ἐκείνοις ἀπεργασαμένοις, ἄρχειν καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾶν ζῶον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον. Paulò altius uerba Platonis repetiui, quàm Ciceronis interpretationẽ. Itaq; superiora non erit alienũ repetere, quo facilius res intelligatur. Post autem sationem eam, dijs, ut ita dicam, iunioribus permisit, ut corpora mortalia effingerent, quantum´que esset reliquum, ex humano animo quod debet accedere, id omne, & quæ sequentia essent, perpolirent & absoluerent. Illud ἄρχειν παρέδωκε, uertit Permisit, ut ducem se principem´que præberet. Equidem fateor, quò pertineant uerba hæc omnia

omnia numeri singularis, ignorare me, nisi ad deos, quos uocat iuniores. Quod si ita est, uitiose pro plurali singulare positum est. Non posse autem ad illud pertinere, quod ait Reliquum ex humano animo, hinc intelligi potest, quòd cum totus animans non potest esse in uitio nisi sit animans, tamen hoc modo permisisse Deus animo diceretur, ut animantis uitam regeret optime, nisi si quis sua culpa ipse sibi aliquid miseriæ quæreret. Quasi uero animus ipse sibi & toti animanti miseriã & malum minime quærat. Iam uero cum apud Platonem illud παρέλαμεν iunctũ sit cum datiuis, τοῖς νέοις θεοῖς, & ad infinitiuos πλάττειν, ἄρχειν, & διακυβερνᾶν pertineat, cui dubium est quin actio eorum infinitiuorum ad illos deos iuniores referri debeat? His igitur rationibus adductus, in plurali legendum arbitror, principes se ducesq; præberent, regerent, & gubernarent. Sed ueniendum est tandem aliquando ad id, quod disputationi huius loci initium causam que dedit. In his Platonis uerbis nulla fit beneficiorum nec benefacti mentio. Itaque tolli utrunque debet. Nam utrum illud nisi, dicendum nec ne sit, interest ad sentẽtiam. Et certe si dicamus quatenus, id tenendum est necessario: sin dicamus pro quatenus, qui cui apud Plat. ὅτι respondet, delendũ erit omnino. Est igitur uel ita legendũ ut posui, Nisi quatenus ipse sua culpa sibi aliquid miseriæ quæreret. uel certe hoc modo, qui non ipse sua culpa, &c. Hoc autem posterius ferri non potest. Neq; enim hæc latina sit oratio, Vitamq; eius pul

cherrime regerent, et gubernarent, qui non ipse sua culpa sibi aliquid miseriæ quæreret. Relinquitur ergo, ut illud Nisi quatenus, &c. retinendum sit.

Quod tum deniq; eueniet, cum illa quæ ex igne, aēre, aqua, atq; terra turbulenta & rationis expertia insederint, ratione depulerit.) Illud Deniq; traiectū erat in illum locum, deniq; ratione depulerit. Alio autem loco docui, hanc propriam eße Ciceronis locutionem, tū denique, cum.

Itēq́; in eo influente atq; effluēte animi diuini ambitus illigabāt.) In exemplari quod proxime cū cæteris editū est, pro animi diuini, quod in omnibus quæ superioribus temporibus emissa sunt, scriptum erat, animo diuino, ne scio quis corrector adhibuit: si is corrector, non corruptor appellandus est. Nec uero eum reprehendens, eodē crimine damnari iure poßum. Plato enim & illū arguit temeritatis, & me à crimine liberat. Sic enim apud eum scriptū est, τὰς τῆς ἀθανάτου ψυχῆς περιόδους ἐνέδουν ἐς ἐπίῤῥυτον σῶμα καὶ ἀπόῤῥυτον.

Ita totū animal mouebatur illud quidem, sed immoderate, & fortuitu, ut sex motibus ueheretur. nam & antè & ponè, ad læuam & ad dexteram, & sursum & deorsum, modo huc modo illuc.) Omnibus in libris quos adhuc legi, hic locus coniunctus est cum illo qui sequitur, Sed si in splendore consedit, &c. Nemoq́; adhuc, quòd sciam, nec deeße hic aliqua, nec quanta deessent, obseruauit ac notauit. Hoc ne quis post hac in errore uersetur, prouidebo. Quæ igitur desunt, sequuntur.

Cumq́;

Cumq; magna aquarum copia & influeret & effluer-
ret, unde uictus cultusq; præberetur, multo etiam maio
res perturbationes afferebãt morbi, qui omnes tum op-
primunt, cum corpus cuiuspiam extrinsecus ignem uehe
mentiorem sensit: aut à terræ soliditate, aut ab aquæ hu
more, uel etiam aeris flatu occupatur et offenditur. Ita
ab his omnibus, usq; ad animum per totum corpus ap-
pulsus hi uehementiores pertinent. Ob camq; causam o
mnes sensus appellati sunt, hiq; tum in eo quod adest,
quodq; præsens est, maximos & plurimos cient motus,
adiutoreq; riuo, qui continenter fluit, uehementi pulsu
animi orbes ambitusq; concitant. Ac ambitum quidem
qui eiusdem est similisq; naturæ, cõtrarium adepti cur
sum, & initio & in cursu impediunt: eam autem quæ
est alterius, dissipant: ut ipsi tria interualla, quæ interie
cta sunt inter dupla ac tripla, itemq; media, ac uincula
sesquialtera, & sesquitertia, et sesquioctaua (nam ipsi a
nimi dissolui non possunt, nisi ab eo qui colligauit) om-
ni genere mouendi uersent, et torqueant, omnesq; animi
orbes dißipent, et diß: dijs agitent, quibuscunq; possũt.
Ita orbes uix inter se connexi & colligati mouentur il
li quidem, sed temere ac fortuitu, aliàs contra, aliàs obli
que, interdum supini: ut cum quis supinus caput humi
defigit, pedes uero sursum ad aliquẽ tollit, tum et in eo
qui sic affectus est, & in ijs qui spectant, dextra læua, et
læua quæ dextra sunt uidentur. Hæc igitur omnia, & a
lia eiusdem generis, cum in orbibus contingunt, si quid
uel eiusdem generis uel diuersi in eos incurrerit, tum

quod eiusdem naturæ, quodq; alterius contrà, quam uera ratio patiatur, appellant, mendaces q; & amentes sunt, neq; tũ uel unus inter eos orbis obtinet principatũ. Quod si extrà sensus aliqui moueãtur, totumq; animum unà secũ traxerint, tum uidentur qui parent regere ac imperare. Ob easq; omnes uehementiores motus, cũ initio mortalis corporis uinculis animus includitur, amens primum, & expers rationis existit. Cũ uero paulum firmitatis leni flatu accesserit, animiq; orbes rursum tranquillitate, secundoq; uento usi suum cursum conficiunt, progredientibusq; ætatibus confirmantur, tum deniq; figuram naturæ suæ accommodatam adepti, omniumq; orbium circumuectiones optabili cursu usæ, quid à quoq; differat, quæ quanq; rem res consequatur rite discernunt, eumq; in quo ipsi sunt sapientẽ efficiunt. Quod si quis cũ recta educatione disciplinã & doctrinam coniunxerit, is grauissimo morbo declinato sanus & sapiens omnino futurus est. Sin uitæ cultum neglexerit, cõfecto cursu ætatis, imperfectus & imprudens uiã ad inferos ferentẽ rursum ingreditur. Sed hæc ipsa posterius oriũtur. Nũc de ijs quæ nobis hoc tẽpore proposita sunt, disserendũ est. Ac prima quidem corporum animorumq; origo & institutio, quas ob causas, quaque Dei prouidentia extiterit, probabili oratione disputabimus. Duos quidem diuinos ambitus, cum uniuersitatis huius figuram, quæ rotũda erat, Deus recordãdo spectaret, in globoso corpore colligauit, eo quod caput dicimus. quo nihil est in nobis diuinius, quodq;

quodq; in nobis principatum tenet. Huic cũ dij parêre totũ corpus uellent, orbes etiã uniuersos attribuerũt, quòd intelligerẽt fore, ut omnibus motibus ueheretur. At ne si uolueretur supra terrã, quæ partim accliuis partim decliuis esset, errores ascensus & descẽsus uitare nõ posset, hanc corporis magnitudinẽ, quasi currum quendam ei dederunt. Hinc proceritatem corpus adeptum est. Quatuor etiam membra in longitudinem porrecta, cum Deus uiã esse fabricatus, corpori natura tribuit, quibus sultum & nixum, facile omnes locos adire, uiarumq; asperitates & molestias superare posset. idq; eò fecit, quod eius domicilium ferret, quo nihil in nobis diuinius est. nihil sanctius. Crura præterea & manus, ob has causas datæ sunt omnibus. Motu uero eo quo ponè mouentur homines, cum præstantiorem & ad imperij rationem aptiorem eum dij intelligerent quo antè progrediuntur, eo magna ex parte ingrediẽdi membra habuerunt. Sed quia finitam oportuit et dissimilem hominem habere priorem partem corporis, idcirco primum in capite os collocarũt, cui opportũitates totius animi prouidentiæ accommodatas attexuerunt, in ea que prior parte instituerunt naturæ principatum. Opportunitatem autem primam fabricati sunt oculorum lucifrorum, quos hac de causa colligarunt. Quicquid ignis minime incendit, lumenq; suaue affert, suum cuiq; diei & proprium esse uoluerunt. Nam qui in corporibus nostris insitus est ignis huius germanus, eum Deus liquidum & purum ab oculis fluere ac labi uoluit: cum

id

id omne quod in oculis leue ac crebrum est, ac multo magis quod medium est expleuisset. Ita quod in illis est crassius, omne cohibitum: quod rarius ac purius, solũ euolauit. Cum igitur lumen diurnum in oculorum radios diffunditur, tum par ac similis ignis, cum simili fusus & concretus, unum corpus, aptum ac familiare cum illo efficit, oculorum acie in eum locum recte intenta, quo loco ignis interioris, & ignis externi fit concursio. Ita totum lumen consensione quadam, mutuaque conuenientia, cum adeptum est propter similitudinem, quicquid arripuerit, aut quicquid ipsum, id cum pulsu agitauit in omni corpore usq; ad animum, sensum eum quo cernimus excitat. Cum uero noctu cognatus ignis abscessit, dissipatur. Nam ad ignem alterius generis erumpens ipse, commutatur & extinguitur, quòd cum proximo aere, qui lucis expers est, nullum habeant commercium. Itaq; & cernere desinit, & somni inducit exordium. Nam palpebræ, quas dij oculorum causa machinati sunt, cum hæc commixta sunt, uim ignis intrinsecus cohibent. Hæc autem per totum corpus fusa, motus interiores demulcent: quibus mitigatis, quies & somnus obrepit. Ac quies quidem si diuturna sit, exigua insomnia contingunt: sin reliquiæ maiorũ quarundam perturbationum inhæreant, quales qualibusq; ex locis perceptæ sunt, tales & tantæ somniorum species in animo extrinsecus solent existere. Nam earum imaginum ac simulacrorum, quæ in speculis effinguntur, eorumq; quæ ex perspicuitate & læuitate oriuntur,

tur, facilis est explicatio. Adhuc ea quæ commemoraui, nescio quo casu interciderunt. Nunc reliqua uideamus. Illud quidem quod sequitur, conuersum à Cicerone, aliqua ex parte non cohæret. Nam longæ Platonis respondet illius perbreuis hæc oratio: Sed si in splendore consedit, tum uel eadem species, uel interdum immutata redditur, cũ ignis oculorum cũ eo igne qui est ob os offusus, se confudit et contulit. Sed melius est Platonis, cui hæc respõdet, subijcere orationẽ. Erit enim planius. ἐκ γὰρ τοῦ ἐκτὸς, ἐντός τι τοῦ πυρὸς ἑκατέρᾳ ἰσοινωνίας ἀλλήλοις, ἑνός τε αὖ περὶ τὴν λειότητα ἑκάστοτε γινομένης, μὴ πολλαχῇ μεταριθμηθέντος, πάντα τὰ τοιαῦτα ἀναγκαίως ἐμφαίνεται τῷ ἐναντίῳ τὸ πρόσωπον πυρὸς τῷ περὶ τὴν ὄψιν πυρί, περὶ τὸ λεῖον μὴ λαμπρὸν ξυμπαγὲς γινομένῳ. Multa hic sunt, quæ Cicero non conuertit, nisi forte hic locus corruptus fuit, ut plerique alij, quod facile intelligi hinc potest. Nam & apud Platonem est scriptum γάρ, quod affert rationem superioris orationis: & apud Ciceronem, Sed, quod ab illo γάρ longe diuersum omnes intelligunt. Quocirca malim ego Nam legere. Illud etiam intelligendum est, cum apud Platonem hæc duo sint scripta, περὶ τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν, apud Ciceronem autem tantummodo alterum: si in splẽdore, illud alterũ in leuitate addendũ esse. Sed aliquis forte quærat, quæ apud Platonem his Ciceronianis uerbis paria sint, Vel eadẽ species, uel interdũ immutata redditur. Nec mihi illud sine causa quærere uideatur. Adeò enim hæc Ciceronis uerba diſsimilia uidẽtur ijs quæ apud Platonem idẽ efficiunt, ut uix intel

ligi

ligi poßit. Sunt autem hæc, ἑνός τε αὖ περὶ τὴν λειότητα ἑκάστοτε γενομένου, καὶ πολλαχῇ μεταριθμηθέντος. Vnam enim speciem dixit ἓν, & μεταριθμηθέντος, uertit species immutata. & γενομένου redditur, quod in secundo de Diuinatione dixit, existit: Existunt species somniorum. μεταριθμεῖσθαι ergo dixit pro μεταβαλεῖν, uel ἀλλοιοῦσθαι. Lego ego Confudit in præterito, non in præsenti cōfundit, propter uerbum adiectum, contulit.

Atqui hæc omnia ex eo genere sunt, quæ rerum adiuuant causas, quibus utitur ministris Deus.) Ministris hic legendum est, non ministerijs, quod uerbum in cæteris est omnibus. Est enim apud Platonem, οἷς θεὸς ὑπηρετοῦσι χρῆται.

Nunc uero dies noctesq́; oculis cognitæ, tū mensium annorumq́; cōuersiones numerum machinatæ sunt, & spacium temporis dimensæ sunt, & ad quæstionem totius naturæ impulerūt, quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nullū optabilius, nullū præstantius neq; datum est mortaliū generi deorū cōceßu atq; munere, neque dabitur.) Vitiose legebatur, ad numerum machinatæ sunt. Tollenda est enim ad præpositio, ut numerum sit accusatiuus, illius machinatæ sunt, quod uerbum est non paßiuæ, sed actiuæ significationis. Hoc autem facile intelligi ex Platone ipso potest, apud quem scriptum est hoc modo. μῆνές τε καὶ ἐνιαυτῶν περίοδοι μεμηχάνηται μὲν ἀριθμὸν, χρόνου δὲ ἔννοιαν περί τε τῆς τοῦ παντὸς φύσεως ζήτησιν ἔδοσαν. In hac autem oratione habet finem & terminum quicquid à Cicerone con-

ne conuersum reperi. Ita fit, ut quousq; interpretando progressus sit, ignorem: illud certe confirmare posßum, multa deesse, nec solum ea quæ ille trãstulerit, sed ea etiam quibus in dialogis sermonem solitus sit claudere. Quinetiam si Nonium Marcellum audiamus, reliqua omnia transtulit. Cum enim aliquid ex libro Ciceronis de Vniuersitate profert, eum ita inscribit, Cicero in Timæo. Velut in dictione exordium: Cicero in Timæo, Difficillimum autem est in omni conquisitione rationis exordium. Vitiose enim legitur, facillimũ. Est enim scriptum apud Platonem hoc modo, μέγιστον δὴ παντὸς ἄρξασθαι κατὰ φύσιν ἀρχῆς. Quod sanè argumenti satis est, totum librum ab eo esse conuersum, & hunc librum inscriptum Timæum fuisse, non de Vniuersitate. Quo autem pacto inscriptus sit de Vniuersitate, si quis requirat, equidem id uere mihi uideor posse dicere, cũ paulo ante finem eorum quæ hodie sunt in manibus, aliquis hæc legisset, Nam hæc quæ est habita de uniuersitate oratio à nobis, haud unquam esset inuenta, &c. is libri huius propriã inscriptionẽ existimãs, curauit sic inscribẽdum. Nam si hanc quæ hodie extat, tantũ particulam cõuertisset quid Nonio Marcello uenisset in mẽtẽ, Ciceronis in Timæo testimoniũ producere? Huc accedit, quòd idẽ auctor quoties aliqd affert ex Oeconomico Xenophontis, quẽ Cicero conuertit, Ciceronẽ in Oeconomico Xenophõtis nominat. Quapropter hũc ego librum de Platonis Timæo sic cõuersum arbitror, ut totus toti respondeat. Quem si totum haberemus,

diui-

diui boni, quàm splendide, quàm ornate, quàm copiose de Græcorum disciplinis, præsertim de philosophia disputaremus? Quanta uero inde copia & ubertate dicendi instructi, ad Græcorum libros & tractandos & conuertendos ueniremus? Sed tamen hæ reliquiæ magnum nobis ad id ipsum adimentum afferent, si omnes locutiones, omnia dicendi genera, quibus hic unus liber abundat, & plurimis & splẽdidissimis, omni studio persequamur. Quapropter omnes hortor qui studiosi sunt græcarum literarum, ut cum primum aliquid scire græce cœperint, hos duos libros Platonis & Ciceronis sibi proponant ad legendum, ad meditandum, ad imitandum: in his duobus coniungendis omnem operam, diligentiam, studiumq; consumant. Quod si fecerint, mirificos certè studiorum suorum fructus percipient. Neq; enim genera modo dicendi splendida propè infinita, illustremq; orationem, quæ apud Ciceronem perpetua est, discent & cognoscent: sed quæ græca etiam eiusdẽ generis idem declarent, uidebunt. Ita siue contenti suo studio, nihil cæteris uolent tradere, sibiq; ipsi solis consulent: siue sua studia ad aliorum commoda referenda ducent, hoc consequentur, illi ut & facilius græca intelligant, & disertius explicent: hi etiam ad omnes artes & disciplinas Græcorum tractandas interpetandasq; ueniant instructiores.

FINIS.

ΑΡΑΤΟΥ
ΣΟΛΕΩΣ ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ.

Ciceronis in Arati Phænomena interpretatio, quæ multo & amplior est & emendatior, quàm uulgata.

Accesserunt his Vergilij, Germanici Cæsaris, & Rufi Auieni carmina, ijs respondentia Arati, quæ à Cicerone conuersa interciderunt.

Hæc autem Latina omnia Græcis ex altera parte respondent Ioachimi Perionij opera, cuius Obseruationes simul eduntur.

BASILEAE.

ΛΕΟΝΤΙΟΥ ΜΗΧΑΝΙΚΟΥ

περὶ κατασκευῆς ἀρατείας σφαίρας.

Ρ ΩΗΝ ὦ κράτιστε Θεόδωρε, ἐτυγχάνομεν γὰρ μηχανικῷ ὄργανον ὀργαζόμενοι, καὶ ἐπωθούμεθα εἴ τις εἴη μέθοδος, δι' ἧς δυνατὸν ἀράτειαν σφαῖραν κατασκευάσαι οὕτως, ὡς τε τὰ ἐν αὐτῇ ζῴδια πρὸς ἄλληλά τε, καὶ πρὸς τὸν ἐν τῇ σφαίρᾳ γραφομένους κύκλους, καὶ ἔτι πρὸς ἀνατέλλοντα μέρη τοῦ ζῳδιακοῦ, θέσιν ἔχειν σύμφωνον τοῖς ὑπὸ τοῦ ἀράτου λεγομένοις. ἐτύγχανον γὰρ καὶ τοιαύτῃ τινὰ σφαῖραν ὀργαζόμενος, ἐλπίδι τῷ σχολαστικῷ ἀνδρὶ ἀξιολόγῳ ὁμοῦ καὶ φιλομαθεῖ. ἐγὼ μὲν τότε σχολῆς οὐκ ἐγίνομην, οὐδ' ἐν ἔφλω. νῦν δ' ἐπεὶ καὶ σὺ καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν ἑταίρων παρακαλοῦσι, καὶ λόγον τινὰ περὶ τούτου γράψαι, ὀρέγομαι τῷ σῷ προθυμίαν ἐκτελῶν. ἐσῶ δὲ μάλιστα μὲν τοῖς πρώτοις μάλιστα ἀναγινώσκουσι τὰ ἀράτεια, χρήσιμος ὁ λόγος, εἴγε μέλλοιεν καὶ τὰ λεγόμενα διαπαλαμᾶν. πᾶσι γὰρ, ὡς οἶδα, αὐτῶν φερόμενοι σφαῖραι, πολεμαίῳ μὲν (ὡς εἰκὸς) ἐν τυγχάνουσιν, ἀράτῳ δὲ ἐν τῷ πλείονι τὸ συμφωνοῦσι, ὥστε τὸν πρώτως μάλιστα ἀναγινώσκοντα τὰ ἀράτεια, οὐ μὰ δι' ὀλίγου ἐκνεῦσαι τῶν λεγομένων. τινὰς δὲ μηδ' ὅλως παρακολουθεῖν δυνάσθαι. διὰ

τοι ἐπεγνόηθησαν μὲν αἱ τοιαῦται σφαῖραι, πρὸς
τὸ νοεῖν σαφῶς τὸν ἀρατον. διὸ δὴ καὶ παρωνύμως
ἀπ' αὐτοῦ λέγονται, καθὼ καὶ ἔφαμεν ἐν τοῖς πλεί
στοις, αὐτῷ ὀ συμφωνοῦσι. διὸ δὴ καὶ ἡμεῖς πειρα
σόμεθα, ὡς μάλιστα δυνατὸν, καὶ ὠδὶ πλεῖστον τῶν
ἄλλων σύμφωνον τῇ ὑποκειμένην σφαῖραν κα-
τασκευάσαι. ἱστέον δὲ, ὅτι τὰ περὶ τῶν ἄστρων τῷ
ἀράτῳ εἰρημένα, ὀ πάνυ καλῶς εἴρητε, ὡς ἔστι ἔκτε
τῶν ἱππάρχῳ καὶ πτολεμαίῳ συντεταγμένων
περὶ τούτων μαθεῖν. αἴτιον δὲ πρῶτον μὲν, ἐπεὶ τοῦ
τὰ εὐδόξου, οἷς μάλιστα ἠκολούθησεν ὁ ἀρατος, οὐ
λίαν ὀρθῶς εἴληπται. ἔπειτα δ' ὅτι καὶ οὐ πρὸς τὸ
ἀκριβὲς, ὥς φησι σπόρος ὁ ὑπομνηματιστὴς, ἀλ-
λὰ πρὸς τὸ χρήσιμον τοῖς ναυτιλομένοις, ταῦτα ὀ
τως διαγέγραπται, εἰκότως τε ὁλοσχερέστερον περὶ
τούτων διαλαμβάνει. καὶ γὰρ καὶ οἱ πλωϊζόμενοι,
ὀ διὰ μηχανικῶν ὀργάνων καὶ ἀκριβῶς, ἀλλὰ διὰ
ψιλῆς ἀναβλέψεως, καὶ παχυμερῶς τὴν τῶν ἀστέ
ρων θέσιν ἔμελλον ὑπὸ σκοπεῖν, ὥστε καὶ ἡ κατα-
σκευαζομένη σφαῖρα, πρὸς μὲν ἄκραν ἀλήθειαν
ὀδαμῶς, πρὸς δὲ κατάληψιν τῶν ἀρατείων, καὶ
πάνυ χρήσιμος. ῥᾴδιον δὲ γνόντες ἅπαξ τὰ ἀρά
τεια, τά τε μὴ καλῶς ἐν αὐτοῖς ἔχοντα, καὶ ὡς ἐχει
ἀληθείας λέγοντός τινος καταμαθεῖν, ὥστε καὶ
πρὸς τὴν ἀλήθειαν, διὰ μέσου τινὸς συμβάλλεται
ὁ λόγος. ἀλλὰ μὴν ὅτε ἐκεῖνο λαθεῖν χρὴ, ὅτε τὸν

περὶ

περὶ τῶν ἀστέρων λόγον, εἰς τρία μέρη διαιρεῖ ὁ ἄρατος· καὶ ἐν μὲν τῷ πρώτῳ διδάσκει, περὶ τῆς πρὸς ἄλληλα αὐτῶν θέσεως, ὥστε ὅταν λέγῃ, ὅτι αἱ ἄρκτοι κεῖνται, τὰς κεφαλὰς ἔχουσαι ὠθὶ τὰς ἀλλήλων ἰξύας νευούσας. ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ, περὶ τῆς νοουμένης αὐτῶν ὑπὸ τῆς τῶν κύκλων τομῆς, ἢ ὁποιασοῦν αὐτῶν πρὸς οὐδὲ κύκλους σχώσεως, οἷον ὑπὸ ὑποδείγματος. τομῆς μὲν, ὅτι οἱ δίδυμοι τέμνονται ὑπὸ τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ κατὰ τὰς κεφαλάς. σχώσεως δὲ, ὅτι αὐτὸς ἐγγύς ἐστι τοῦ ἰσημερινοῦ. ἐν δὲ τῷ λοιπῷ περὶ τῆς γενομένης αὐτῶν, πρὸς τὰ ἀνατέλλοντα μέρη τοῦ ζωδιακοῦ στάσεως. οἷον ὅτι καρκίνου μὲν ἀνατέλλοντος, δύνει τὸ ἥμισυ τοῦ στεφάνου· χηλῶν δὲ ἀνατελλουσῶν, ἀνατέλλει τὸ ἥμισυ αὐτοῦ. καὶ ὅτι κριοῦ ἀνατέλλοντος, τὸ θυμιατήριον ὁρᾶτε ὠθὶ δύσιν, καὶ τὰ παραπλήσια, ὥστε ἂν θελήσωμεν ἕκαστον τῶν ζωδίων κατὰ πάντα συμφώνως ἐντάξαι, δεήσει τοῖς τρισὶ τόποις ἐντυγχάνοντας, ὡσκέψασθαι εἴ τι λέγονται περὶ τοῦ ζητουμένου ζωδίου καὶ κατὰ μέρος ἐν τῷ ἑνὶ, ἤτοι καὶ ἐν τοῖς δυσὶν, ἢ καὶ ἐν τρισὶ τμήμασιν, ἐὰν οὕτω τύχῃ περὶ αὐτοῦ τὰ λεγόμενα εἰς ἓν συναγαγόντας ἔν τινι πτυχίῳ, ἤτοι σχωδαρίῳ, πρὸς τὸ ἕτοιμον σχωδιάσασθαι, οἷον σαφηνείας ἕνεκεν τῶν λεγομένων ἡμῖν ὡσὶ τοῦ ὀφιούχου ὁ λόγος.

ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΟΦΙΟΥΧΟΥ.

Τούτου καὶ γὰρ ἐν τοῖς πρισὶ τόποις μέμνηται, ἐπειδὴ τοίνυν ἐν τῇ πρώτῳ μέρει λέγει πρὸ αὐτοῦ, ὅτι ὁ ὀφιοῦχος ἵστησ ὀρθός, τὴν μὲν κεφαλὴν ἔχων πρὸς τὴν κεφαλὴν τοῦ γόνασι, τοὺς δὲ πόδας ἀπὸ τοῦ θώρακος τοῦ σκορπίου καὶ τοῦ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὅλη περὶ τὸ μέσον εἰλεῖται ὁ ὄφις, καὶ ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ πρέφεται, ὀλίγος μὲν τῇ ἀριστερᾷ· καὶ ὅτι τὰ γόνατα τοῦ κατ' αὐχένα ὄφεως, πρὸς ἀκεῖσθαι τοῦ στεφανῶ. ἔλεγε δ' ὅτι ἔχει ἀστέρας ἀπὸ μὲν τῶν ὤμων λαμπρούς, ἀπὸ δὲ τῶν χειρῶν ἐλάττονας λαμπρούς. καὶ ὅλη κατωκάτω ἡ ἀστέρας τοῦ ὄφεως εἰσὶν αἱ χηλαί. καὶ τέμνεται μὲν κατὰ τοῦ χειμερινοῦ τροπικοῦ ἡμικυκλίου τοὺς ὤμους, κατὰ δὲ τ' ἰσημερινοῦ, κατὰ τὰ γόνατα. ἐν δὲ τοῦ τρίτῳ, πάλιν ἀποράσθαι, ὅτι καὶ κείνου μὲν ἀνατέλλοντος, δύνει ἀκρογόνατος ἕως τ' ὤμων, κατάγων τὴν ὄψιν ἕως ἐγγὺς τ' αὐχένος. σκορπίου δὲ ἀνατέλλοντος, ἀνατέλλουσιν αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν, καὶ αἱ χεῖρες τοῦ ὀφιούχου, καὶ ἡ προτέρα λαμπὰς τοῦ ὄφεως. τοξότου δὲ ἀνατέλλοντος, ἀνατέλλει ἡ ἀστὴρ τοῦ ὄφεως, ἐπὶ τὸ σῶμα τ' ὀφιούχου. ταῦτα ταῦτα σωαγαγόντες, ἐν τινι τόπῳ ἀπεγραψώμεθα. ὁμοίως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἄλλων ποιητέον. πρόκειται γὰρ ἡμῖν ταῖς ἐφόδοις καὶ ἀπόροις, οὐκ ἐντυγχάνοντας πρασκευά-

ζειν,

ζειν, καὶ τὰ περὶ τῶν ἄλλων ζωδίων ἑκάστου τὰ κατὰ μέρος λεγόμενα, εἰς ἓν συνάψαντες, ὁμοίως τοῖς ὑπὸ τοῦ ὀφιούχου εἰρημένοις, ἐν τῷ τέλει τοῦ λόγου πραθήσομεν. κἀκεῖνο μέν τοι χρήσιμον ὂν πρὸς τὸ προκείμενον, καλῶ ἔχει πραβάλλειν, ὅτι ἓξ ἐν ταῖς ἀρατείαις σφαίραις κύκλους, ἐν τακτέον. πρῶτον, τὸν μέγιστον τῶν ἀεὶ φανερῶν, τὸν καὶ ἀρκτικὸν ὀνομαζόμενον. δεύτερον, τὸν θερινὸν τροπικόν. τρίτον, τὸν ἰσημερινόν. τέταρτον, τὸν χειμερινὸν τροπικόν. πέμπτον, τὸν μέγιστον τῶν ἀειφανῶν, τὸν καὶ ἀνταρκτικὸν προσαγορευόμενον. ἕκτον, τὸν ζωδιακὸν, τὸν καὶ ἐφαπτόμενον τῶν τροπικῶν. περὶ μὲν καὶ τῶν τεσσάρων, λέγω δὴ τοῦ θερινοῦ καὶ ἰσημερινοῦ, καὶ τοῦ χειμερινοῦ καὶ τοῦ ζωδιακοῦ, πολὺν ποιεῖται λόγον. περὶ δὲ τῶν λοιπῶν ἐναργῶς μὲν οὐ μέμνηται. ἐξ οὗ δέ φησι περὶ τοῦ δράκοντος, ὅτι ἐκείνου ἡ κεφαλὴ, κατ' ἐκεῖνο τὸ μέρος ἐστὶ τοῦ οὐρανοῦ, καθ' ὃ αἵ τε ἀνατολαὶ καὶ αἱ δύσεις μίγνυνται ἀλλήλοις δῆλον ποιεῖται, ὅτι τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος ἐν τῷ μεγίστῳ τῶν ἀεὶ φανερῶν βούλεται εἶναι. οὗτος γὰρ καὶ μόνος διὰ τῆς βορείας κοινῆς τομῆς τοῦ τε ἀνατολικοῦ ἡμικυκλίου τοῦ ὁρίζοντος, καὶ τοῦ δυτικοῦ τὴν περιφορὰν ποιεῖται. ἀρὰ δὲ τούτου καὶ τὸν ἀνταρκτικὸν, ὅμοιόν τε καὶ ἴσον ὄντα τῷ ἀρκτικῷ, ἐννοητέον. δυνατὸν δέ ἐστι καὶ ἑτέρως περὶ

τ δύο κύκλων τούτων, ἀφ αὐτῶν κάλιν τ ἀρατέων πεφαμυθήκασι. τὼ δὲ τῶ γάλακτ ζώνω, ὀκ ἐντακτέον, ἐπεισὶ πρὸς τῷ ποικίλω εἶναι, οὐδὲ πολλῶ πρὶ αὐτῆς καταβάλλει μνήμω. ὅτι δὲ ποικίλη ὀδὶ, καὶ πάνυ εργοτόρας ἐπισάσεως δεομένη, δῆλον ἀφ ὧν καὶ πτωλεμαῖ ἐν τῷ ὀγδόω βιβλίω τῆ συντάξεως φησιν. οὐ γὰρ ὁμαλή τις ὀδὸν, οὐδὲ τεταγμένη, ἀλλὰ καὶ τῷ πλάτει, καὶ τῷ χώματι, καὶ τῇ πυκνότητι, καὶ τῇ θέσει διάφορ. δεῖ δὲ ἑκάτερον μὲν τῶν τροπικῶν ἀπέχειν, τὸ ἰσημερινοῦ μεγίσου ὄντ τὰ δεδειγμένας τῷ πτωλεμαίῳ ἐν τῷ τετάρτῳ βιβλίῳ τῆ συντάξεως, μοίρας κδ. ἑκάτερον δὲ τῶν ἄλλων, λέγω δὴ τόντε ἀρκτικὸν, καὶ τὸν ἀνταρκτικὸν, ἀπέχειν τ καθ ἑαυτὸν πόλ τῆ σφαίρας μοίρας μα, εἴγε μέλλει συμφώνως τῷ ἀράτῳ τὸ ὑπὲρ γῆν τμῆμα τ θερινοῦ, τουτέστι ἡ μεγίστη ἡμέρα, τοιούτων εἶναι φησὶ τὸ ὅλ ὁ θερινὸς, τουτέστι ὅλον τὸ νυχθήμερον ὀκτώ. ἐν γὰρ τῷ τοιούτῳ θέσιν τῆ σφαίρας, καὶ τὸ τοσόνδε μέγεθ τῆ μεγίστης ἡμέρας σώζεται, ὡς ὀλίγῳ ὕστερον μαθησόμεθα. τούτων δὲ οὕτως ἡμῖν διειλημμένων, ἔλθωμεν ὠδὶ τὸ προκείμενον. στάσις μὲν ὄν ἡ ὠδὶ τοῖς λέγουσιν ἴτυς, ἡ δὴ καὶ ὁρίζοντ τάξιν ποιεῖται. καὶ ἕτερ δὲ ἴσ μὲν τῇ βάσει, ᾧ φέρωται τὼ σφαῖραν λοξικῶν. μεσημβρινοῦ δὲ λέγει τάξιν

ξιν ἐπέχων, ὁμοίως μὲν ταῖς ἐν ταῖς ἄλλαις σφαί-
ραις γίνονται ὑπὸ μελῶς δὲ καὶ τεχνικῶς οὕτως,
ὥστε τὴν σφαῖραν πάντοθεν μὲν ἴσον ἀπέχειν
ἀπὸ τῆς κοίλης ὑπὸ φανείας τοῦτε ὁρίζοντος, καὶ τοῦ
μεσημβρινοῦ. διχοτομεῖσθαι δὲ ὑπὸ τῆς ἄνωθεν τοῦ
ὁρίζοντος ὑπὸ φανείας. ἔστω δὲ ἔσται, ἐὰν καὶ ὁ με-
σημβρινὸς μέσην τε, καὶ κατὰ διάμετρον τὴν σφαῖ-
ραν δίχα τέμνων τὸν ὁρίζοντα, καὶ αὐτὸς διχο-
τομεῖται ὑπὸ τῆς ἄνωθεν τοῦ ὁρίζοντος ὑπὸ φανείας.
ἔχοντες δὲ πρότερον τοῦ ὑπὲρ γῆν ἐσομένου ἡμι-
κυκλίου, ὡς ἔθος, μίαν πλευρὰν εὐθείαις γραμ-
μαῖς κατὰ διάμετρον κειμέναις, εἰς τὰς μοίρας διη-
ρημένην, τουτέστι εἰς ἑκατὸν π̄, ἴσα τμήματα
πρὸς τὴν τῶν ἐξαρμάτων, ἤτοι κλιμάτων ἐπί-
γνωσιν. καὶ χρώσαντες τὴν σφαῖραν, ἐὰν ᾖ ξυλί-
νη, καὶ παραπλάσαντες πρῶτον μὲν γύψῳ ἢ κη-
ρίῳ, ὥστε καὶ τὰς ἐν αὐτῇ ῥαγάδας, ἐὰν ἄρα τύ-
χωσι θεραπεῦσαι. ἔπειτα δὲ ξηραινομένου τού-
του δηλαδὴ, καὶ ἄλλῳ βαθεῖ τινι χρώματι ἐπαλεί-
ψαντες, οἷον τῷ καλουμένῳ λαζουρίῳ, ἀφιστάν-
τες δηλονότι μετὰ τὸ ξηρανθῆναι, ὧδε τοῦ διηρη-
μένου τοῦ μεσημβρινοῦ ἡμικρικίου, ἀπὸ τοῦ βορείου
πόλου, μοίρας μ̄α κατατίθεμεν κατὰ τοῦ ἑτέρου τέ-
ρατος, παρὰ τῆς τῶν μ̄α μοιρῶν διαστάσεως, του-
τέστι κατὰ τῆς ἀφοριζούσης ἐν τῇ διηρημένῃ τοῦ ἡμι-
κρικίου πλευρᾷ, τὴν τῶν μ̄α μοιρῶν περιφέρειαν

βελόνην τινὰ, ὀρθὴν μὲν πρὸς τὴν κυρτὴν, καὶ τὴν κοιλὴν τοῦ ἡμικρικίου ὑπερφάνειαν, τουτέστι νεύουσαν ὑπὲρ τὸ μέσον τῆς σφαίρας. τέμνουσαν δὲ ὑπὲρ ποσὸν καὶ διεισδύνουσαν τὰ περὶ τὴν σφαῖραν χρώματα. ἐὰν ἄρα ταύτης μενούσης ἀκινήτου, περιστρέψωμεν τὴν σφαῖραν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ὑπὲρ τὸ αὐτὸ, τουτέστι ὑπὲρ μίαν στροφὴν αὐτὴν κινήσομεν, ἐκτορνευθήσεται ἡμῖν κύκλος τὴν αὐτὴν τάξιν ἔχων, καὶ ὁμοταγῆ τῷ κατὰ τὸν ἄρατον ἀρκτικῷ κύκλῳ. καὶ γὰρ κατὰ τοῦτον, ὡς ἔφαμεν, ὁ ἀρκτικὸς κύκλος ἀπέχει ἀπὸ βορείου πόλου μοίρας μ̄α. ὁμοίως δὲ ἀριστάντες ἀπὸ μὲν τοῦ βορείου, ἢ νοτίου πόλου μοίρας ἐννενήκοντα, γράψομεν τὸν ἰσημερινόν. ἀπὸ δὲ τοῦ νοτίου, μοίρας πάλιν μ̄α, γράψομεν τὸν ἀνταρκτικὸν, ἴσόν τε καὶ ὅμοιον ὄντα τῷ ἀρκτικῷ. ἔτι δὲ ἀριστάντες μοίρας κ̄δ, ἀπὸ τῆς κατὰ τὸν ἰσημερινὸν εὐθείας, ὑπὲρ μὲν τὸ βόρειον μέρος χαράξομεν τὸν θερινὸν τροπικόν. ὑπὲρ δὲ τὸ νότιον, τὸν χειμερινὸν τροπικόν. καὶ γὰρ καὶ τούτων ἑκάτερος, ὡς ἔφαμεν, ἀπέχει ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ μοίρας κ̄δ. πάλιν δὲ ἀριστάντες ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἡμικρικίου, καὶ ἀπὸ τοῦ βορείου πόλου μοίρας κδ̄, ὅσον καὶ οἱ τροπικοὶ ἀπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ διεστήκασι, λάβωμεν τὴν σημεῖον ἀπὸ τῆς ὑπερφανείας τῆς σφαίρας, ᾧ πόλῳ χρησάμενοι, διαστήματι δὲ τῆς τοῦ πόλου πλευρᾷ, τοῦ εἰς τὸν μέγιστον κύκλον

ἐγγραφο/

ἐγγραφομένου. γράψομεν δὲ διὰ τοῦ διαβήτου τοῦ
λεγομένου καρκίνου, τὸν ζωδιακὸν κύκλον, ἐφα
πτόμενον δηλονότι τῶν τροπικῶν. διχοτομουμέ
νων δὲ ὑπὸ τοῦ ἰσημερινοῦ, ὃν εἰς ι β ἴσα μερίσαν
τες, τὰς ἀρχὰς τῶν δωδεκατημορίων, ἀπό τε τῶν
κατὰ τὸν ἰσημερινὸν αὐτοῦ τομῶν, καὶ τὴν πρὸς τοὺς
τροπικοὺς αὐτοῦ ἐπαφὴν ποιησάμενοι, σημειω
σόμεθα τοὺς μὲν ἓξ κύκλους, ἑτέρῳ τινὶ πρὰ τῷ βα
θεῖ χρώματι, γράφομέν τε λεύκῳ τινὶ εἰ τύχοι, τοὺς
ξαρίῳ χρώματι, πρὸς τὸ μετὰ τὴν χρεῖαν εὐχερῶς
ἀπαλειφθῆναι δύνασθαι πρὸς μὲν τῇ πρὸς τὸν θε
ρινὸν ἐπαφῇ τὸ τοῦ καρκίνου ὄνομα, διὰ τὸ ἐνταῦ
θα τὴν ἀρχὴν εἶναι, τοῦ κατὰ καρκῖνον δωδεκατημο/
ρίου, πρὸς δὲ τῇ ἐφεξῆς διαιρέσει, καὶ ἐπ' ἀνατο-
λὴν τὸ τοῦ λέοντος ὄνομα, ἐπεὶ καὶ αὐτὴ ἡ διαίρε
σις πέρας μὲν ἐστι τοῦ καρκίνου, ἀρχὴ δὲ τοῦ κατὰ τὸν
καρκῖνον δωδεκατημορίου, πρὸς δὲ τῇ τρίτῃ πά
λιν καὶ ἐπ' ἀνατολὰς τὸ τοῦ παρθένου, καὶ οὕτως
ἐφεξῆς ἀκολούθως, ἕως οὗ πάντων τῶν δωδεκα
τημορίων τὰ ὀνόματα, κατὰ τὸν οἰκεῖον τόπον ση-
μειωσόμεθα. τούτων οὕτως ἐχόντων, ἐὰν χαλάσω
μεν τὸν κατὰ τὸν μεσημβρινὸν, διὰ τὸν ὑπὸ τοῦ ὁρίζον
τος ἐντομῶν, δηλαδὴ εἰς τὴν βάσιν οὕτως, ὥστε
ἑκάτερον τῶν μικρῶν κύκλων, τουτέστι τόν τε ἀρ/
κτικὸν καὶ τὸν ἀνταρκτικὸν, στρεφομένης τοῦ σφαί
ρας, ἅπτεσθαι τοῦ ἄνω τοῦ ὁρίζοντος ὑπὸ φανείας τοῦ
τοῦ κάτω.

τῆς κάτω. ἀλλὰ τὸν μὲν ἀρκτικὸν τῆς ἄνω, τὸν δὲ ἀν-
ταρκτικὸν τῆς κάτω, εὔδηλον ὅτι ὁ θερινὸς καὶ ὁ
χειμερινὸς, ἑκάτερος διαιρεθήσετε ὑπὸ τῆς ἄνω-
θεν τοῦ ὁρίζοντος ὑπὸ φανείας, καὶ τῆς κάτω, κατὰ
λόγον τῶν ι ε πρὸς τοῖς θ· τουτέστι, ἔσται ὠδὶ μὲν
τοῦ θερινοῦ τροπικοῦ, τὸ μὲν ὑπὲρ τὸν ὁρίζοντα, ὡς
ὡσανεὶ τῆς ἡμέρας τμήματα τοιούτων ι ε ὡρῶν.
οἷον, ἔσω ὅλος ὁ κύκλος, τουτέστι τὸ νυχθήμε-
ρον κ δ. τὸ δὲ ὑπὸ τὸν ὁρίζοντα, καὶ τὸ τῆς νυκτὸς
διάστημα, ὡρῶν θ. ὠδὶ δὲ τοῦ χειμερινοῦ ἀνάπαλιν,
τὸ μὲν ὑπὲρ γῆν θ, τὸ δὲ ὑπὸ γῆν ι ε. κατὰ γὰρ
τὴν τοιαύτην θέσιν τῆς σφαίρας, τουτέστι ἐφ' ἧς
ὁ μέγιστος τῶν ἀεὶ φαινομένων κύκλων, μα-
μοῖραν ἀπὸ τοῦ πόλου διέστηκε, καὶ τοιαύτη τομὴ τῶν
κύκλων γίνεται, ὡς δείκνυσιν ὁ πτολεμαῖος ἐν
τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῆς συντάξεως. ὁ αὐτὸς λό-
γος ἐστὶ τῶν ιε πρὸς τὰ θ, καὶ ὁ τῶν ε πρὸς τὰ
τρία. καὶ γὰρ ὁ πέντε ἔχει ὅλον τε τὸν γ, καὶ τὴν
δίμοιρον αὐτοῦ τὸν δύο, ὥσπερ ὁ ιε ἔχει ὅλον τὸν
θ, καὶ τὸ δίμοιρον αὐτοῦ τὰ ἕξ, ὥστε κατὰ τὴν τοιαύ-
την θέσιν τῆς σφαίρας, οἷον μὲν ὠδὶ τοῦ θερινοῦ
τροπικοῦ τὸ ὑπὲρ γῆν τμῆμα ε, τοιοῦτον τὸ ὑπὸ
γῆν γ. οἷον δὲ ὠδὶ τοῦ χειμερινοῦ τὸ ὑπὲρ γῆν τρί-
τον, τοιοῦτον τὸ ὑπὸ γῆν ε συμφώνως τοῖς ὑπὸ
τοῦ ἀράτου λεγομένοις· ἐπελθόντες εἰς τὴν βάσιν
κατὰ τὸν εἰρημένον τρόπον τοῦ ἰσημερινοῦ, εἰ περι-
στρέψαι μὲν

στρέψαιμεν τὴν σφαῖραν, ἕως οὗ ἡ ἀρχὴ τοῦ καὶ τὸν καρκῖνον δωδεκατημορίου, ἀνατείλῃ ἐν τῷ αὐτῷ ὑπὸ πέδῳ γενομένῃ, τῇ ἄνω τοῦ ὁρίζοντος ὑπὸ φανείᾳ, ἀσφαλησάμενοί τε τὴν σφαῖραν, τουτέστι κηρῷ ἤ τινι τοιούτῳ, ἀκίνητόν τε αὐτὴν ποιήσαντες, γράψομεν πάλιν ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλον, ἐρχόμενον διὰ τοῦ ἀρχῆς τοῦ καρκίνου, ὁμοταγῆ δὲ καὶ ἐν τῷ αὐτῷ ὑπὸ πέδῳ γινόμενον, πάντοτε τῷ ὁρίζοντι καὶ τὴν τοῦ εἰρημένου δωδεκατημορίου ἀνατολήν. γράφομεν δὲ αὐτὸν βελόνῃ τινὶ περιφέροντες μὲν αὐτὴν, καθ' ὅλης τοῦ ὁρίζοντος περιφερείας. οὕτως δ' αὐτὴν σχηματίζοντες, ὥστε τὸν δι' αὐτῆς ἐγγραφόμενον ἐν τῇ σφαίρᾳ κύκλον, ἐν τῷ αὐτῷ, ὡς ἔφαμεν, ὑπὸ πέδῳ γενέσθαι τῇ ἄνω τοῦ ὁρίζοντος ὑπὸ φανείᾳ, ὑπὸ γράψαντες τὸν κύκλον δι' ὀλίγων γραμμάτων, καὶ μὲν τὸ ἀνατολικὸν αὐτοῦ ἡμικύκλιον, καρκίνου ἀνατολικὸν, καὶ δὲ τὸ δυτικὸν καρκίνου δυτικὸν, τουτέστι σημειωσάμενοι ὑπὸ τῶν ἡμικυκλίων, καὶ γράψαντες γράμματά τινα. οἷον ὅτι οὕτω μέν ἐστι τὸ καὶ τὴν ἀνατολὴν τοῦ καρκίνου, τουτέστι ὅταν ἡ ἀρχὴ τοῦ καὶ τὸν καρκῖνον δωδεκατημορίου ἀνατείλῃ. ποῖον μὲν τοῦ σφαίρας ἡμισφαίριον ὑπὲρ γῆν ἐστι, ποῖον δὲ ὑπὸ γῆν, γράψομεν δὲ ἐνδὶ τῶν ἡμικυκλίων τὰ γράμματα.

ἈΡΆΤΟΥ

ἈΡΑΤΟΥ ΒΙΟΣ.

Ἄρατος πατρὸς μὲν ἀθηνοδώρου, μητρὸς δὲ
λυνοδώρας, ἐκ σόλων τῆς κιλικίας. ὠνόμα-
σται δὲ ἡ πόλις ἀπὸ σόλωνος τοῦ λινδίνου, ἔστι δὲ ἡ
νῦν πομπηϊόπολις. ἦν δὲ ὑπὸ πτολεμαίου τοῦ φι-
λαδέλφου, ἐσχόλασε διονυσίῳ τῷ ἡρακλεώτῃ.
συνῆν δὲ ἀντιγόνῳ μακεδόνων βασιλεῖ, καὶ φί-
λᾳ τῇ τούτου γαμετῇ. συνήκμασε δὲ ἀλεξάνδρῳ
τῷ αἰτώλῳ, καὶ καλλιμάχῳ, καὶ μενάνδρῳ, καὶ
φιλητᾷ. ἀδελφοὺς δὲ εἶχε τρεῖς, μύριν, καλών-
δαν, καὶ ἀθηνόδωρον, ὃς πρῶτος αὐτειπεῖν λέ-
γεται ζωΐλῳ, τῷ κατὰ τῆς ὁμηρικῆς ποιήσεως γρά-
ψαντι. σχολάσας δὲ ὁ ἄρατος περσίῳ τῷ φιλοσό-
φῳ ἀθήνησι, καὶ συνελθὼν αὐτῷ εἰς μακεδονίαν
μεταπεμφθέντι ὑπ' ἀντιγόνου, καὶ παρελθὼν εἰς
τὸν ἀντιγόνου καὶ φίλας γάμον, καὶ εὐδοκιμή-
σας, τὸ λοιπὸν τοῦ χρόνου διέτριψεν ἐκεῖσε. ἦν δὲ
ὁ ἀντίγονος υἱὸς δημητρίου τοῦ πολιορκητοῦ, καὶ
παρέλαβε τὴν ἀρχὴν περὶ ἑκατοστὴν καὶ πέμπτην
ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν πτολεμαῖος ὁ φιλάδελφος
αἰγύπτου ἐβασίλευσεν. ὥστε καὶ θρυλλούμενόν ἐστιν
ὑπό τινων, ὡς ἦν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον νικάνδρῳ
τῷ κολοφωνίῳ, τῷ τὰ θηριακὰ γράψαντι. λέγουσί
τε περιτεῖναι ἀλλήλοις, ὁ μὲν νικάνδρῳ σκέψασθαι
τὰ φαινόμενα, ὁ δὲ ἀράτῳ τὰ θηριακά. ἐστὶ δὲ κα-
ταφανὲς ἐστι ψεῦδος. ὁ γὰρ νίκανδρος δώδεκα

ὅλαις

ἄλλοις ὀλυμπίασι νεώτερος φαίνεται. οἱ μὲν φασὶ τὸν ἄρατον μνασέου πατρὸς γεγονέναι. ἀριστοθήρα δέ τινος μαθηματικὸν διακοῦσαι. ἰατρὸν δὲ πεποιημένως καὶ ποιητὴν γενέσθαι φασὶν οἱ περὶ τὸν βασιλείους, γηραιὸν ἤδη τῷ λυσιωναίῳ ἐπιβάλλειν, παρ' ὃν καὶ τὰ γράμματος ἠξιώθη σωθήναι σὺν ἄλλοις μαθηματικῶν, καὶ αὐτῷ μολοφωνίῳ, θεραπεύοντα ἅμα αὐτόν. ζηλωτὴν δέ φασιν αὐτὸν γενέσθαι ὁμήρου, καὶ ἡσιόδου μᾶλλον.

ΥΠΟΘΕΣΙΣ ΤΩΝ ΦΑΙνομένων ἄράτου.

Πρῶτον μὲν ἀπαγγέλλει πεποίμενον εἰς τὰ δία, διὰ τόρου δὲ διεξέρχεται τὰ τῶν φαινομένων ἀπλανῶν διακόσμησιν, εἰς τρία μέρη διελὼν αὐτά. ὧν μὲν τὸ ἐντὸς τοῦ ἀρκτικοῦ φαινομένου ἀεὶ ὑπὲρ γῆν, ἔπειτα σειρὰ δύο ἀνατέλλοντα καὶ δύοντα. τὸ μὲν βόρειον τὸ μεταξὺ τοῦ ἀρκτικοῦ καὶ ζωδιακοῦ, τὸ δὲ νότιον τὸ μεταξὺ ζωδιακοῦ καὶ ἀνταρκτικοῦ. ἀπαγγέλλει δὲ ἕκαστον μήκει καὶ κατὰ πλάτος. τὰ μὲν μήκη ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δύσεις, διὰ τὰ πεφανατέλλοντα, μέχρις ἂν ἐπανέλθῃ, τὰ δὲ πλάτη ἀπὸ τῆς βορείου δύσεως τὸ νότιον. καὶ τὸ μῆκος ἦν τὸ βόρειον τόπον, ἀπὸ τῆς φυγόντος ἡμᾶς ὁδεύοντας εἰς τὸ πρόσθεν, ἀεὶ μέχρι τῶν αὐτῶν κύκλων ἀπαγγέλλει. τὸ δὲ νότιον ἀπὸ ὠκεανοῦ καὶ κύκλου καὶ ἀργοῦς, ὁμοίως μέχρι τῶν αὐτῶν.

κατὰ

κατὰ πλάτος δὲ, τὸν μὲν βόρειον ἀπ' ἀρκτικοῦ μέ-
χρι ζωδιακοῦ. τὸν δὲ νότιον ἑξῆς ἀπὸ ζωδιακοῦ, μέ-
χρι τοῦ ἀνταρκτικοῦ, συντάσσων τὰ μὲν ἑξῆς καθ'
ἕν. τὰ δὲ κατὰ ἥλας καὶ συγγενείας τινὰς, εὐλόγως
περιλαμβάνων. συντελέσας δὲ τὴν διάθεσιν τῶν
ἀπλανῶν, μετὰ ταῦτα περὶ τῶν πέντε πλανήτων
λέγει, καὶ ἑξῆς ἁρμόσας τοὺς κύκλους ἑκάστων ἀπαγ-
γέλλει. ἀπαναίνεται μὲν τοὺς τῶν πλανωμένων, καὶ
οὐ θαρρεῖ λέγειν ὡς χαλεπόν. εὔχεται δὲ ἱκανὸς
γενέσθαι τῶν ἀπλανῶν, τά τε κύκλα, τά τε αἰθέρια
σήματα γνεισπεῖν. καὶ τοὺς ἀναγκαιοτάτους κύ-
κλους τῶν ἀπλανῶν τέσσαρας λέγει, δύο μὲν τρο-
πικοὺς, ἕνα δὲ ἰσημερινόν, τέταρτον δὲ τὸν ζωδια-
κόν. πάρεργον δὲ καὶ ὡς ἐν παραδείγματος μέρει,
αὐτὸν τὸν γαλαξίαν παραβέβληται. μετὰ ταῦτα
δὲ ἀνατολὰς ἑκάστῳ, καὶ δύσεις ἀπαγγέλλει, χρώ-
μενος τῷ τρόπῳ διὰ οὗ ἕκαστα τῶν ἐν τῷ ζωδια-
κῷ καταλέγει, συνανατέλλοντά τε καὶ ἀντιδύ-
νοντα ἀρξάμενος ἀπὸ ἑσπερινῆς ἀνατολῆς καρκί-
νου. κατὰ δύο δὲ τρόπους ταῦτα διεξέρχεται,
Inualidas segetes torrebit siccior aër.

Contemplator item si longo plurima ponto
Agmina festinant uolucrum, solidamq; frequentes
Succedunt terram: sterilis desæuiet æstus,
At sitient agri.
Sed si * producant agmina ab undis,
Nec trepido passim uersent conuexa uolatu,
Lætitia est duris pastoribus, adfore parcos
Præsumunt imbres. Sic in contraria semper
Vota homines agimur, nostriq; cupidine fructus
Poscimus alterius dispendia. denique & ipsa
Solers natura, & rerum genitabilis ordo,
Certa suis studijs affixit signa futuri.
Nanque & ouis cupido si gramina tondeat ore,
Insaturata cibi decerpens latius agros,
Pastor indicium pluuialis frigoris edet.
Et si persultans Aries lasciuius herbas
Appetit, aut sese sustollant saltibus Hœdi,
Vel si iuge gregi cupiant hærere, nec usquam
Matribus abscedant, & si sine fine modoq;
Pabula delibent, cùm tutas uespera dire

Comi

ἀλλὰ χιὼν εἴη πολλὴ μεγάλαις ἐπ' ἀρούραις,
μήπω κεκριμένῃ, μὴ δὲ βλωθρῇσι πόῃσι,
ὄφρα τις σὺν τοῖς χαίρῃ ποτιδέγμενος αὔρῃ,
μηδ' ἔτερ' ἐκ δ' ὑπόρθεν ἰοὶ πότες ἀστέρες αἰεί.
μήθ' εἷς, μήτε δύω, μηδὲ πλέονες κομόωντες.
πολλοὶ γὰρ κομόωσιν ἐπ' αὐχμηρῷ γνιαυτῷ.
δὴ δὲ μὴν ὀρνίθων ἀγέλαις ἠπειρόθεν αὖτε
ἐκ νήσων, ὅτε πολλαὶ ὑπὸ πλήσωσιν ἀρούρας
ὀρχομένου θέρεος χαίρει, πόθι δείδια δ' αὖδας
ἀμήτω, μή οἱ κενεὸς κὰκ ἀχυρμιὸς ἔλθῃ
αὐχμῷ ἀϊνθείς. χαίρει δέ τε καὶ πόλος αὖτε
αὐτῇσιν ὀρνίθεσσιν, ἐπὴν ἦρ μέτρον ἴωσιν,
ἐλπόμενος μετέπειτα πολυγλάγεος γνιαυτοῦ.
ἔστω γὰρ μογεροὶ καὶ ἀλήμονες ἄλλοθεν ἄλλοι
ζώοντες ἄνθρωποι. τὰ δὲ πάρ ποσὶ πάντες ἕτοιμοι
σήματ' ὑπογνῶναι, καὶ ὅτ' αὐτίκα ποιήσασθαι.

ἀρνᾶσι μὲν χειμῶνας ἐτεκμήραντο νομῆες,
ὅτ' νομὸν ὀπάσσαι μᾶλλον ἐπαγόμενοι τροχόωσιν.

ἄλλοι δ' ἐξ ἀγέλης ἠρίοι, ἄλλοι δὲ καὶ ἀμνοί
εἰνόδιοι παίζωσιν ὀρειδόμενοι κεράεσσιν.
ἢ ὁπότ' ἄλλοθεν ἄλλοι ἀναπλήσσωσι πόλεσσι,
τέτρηχεν οἱ κῦφοι, κεραοίγε μὲν ἀμφοτέροισιν.

ἢ καὶ ὅτ' ἐς ἀγέλης ἀεκούσια μινήσωσι
δείελον εἰσελάοντες ὁμῶς, τὰ δὲ πάντοθι ποίης
δάκνωσιν πυκνῇσι κελευόμενα λιθάκεσσιν.
ἐκ δὲ βοῶν ἐπύθοντ' ἀρόται καὶ βουκόλοι ἄνδρες
μινυμένου χειμῶνος. ἐπεὶ βόες ὁππότε χηλὰς
γλώσσῃ ὑπωμαίοιο ποδὸς περιλιχμήσωντες,
ἢ κοίτῳ πλευρᾶς ὠθῇ δεξιτερᾶς τανύσωντες,
ἀμβολίην ἀρότοιο γέρων ὑπέλπετ' ἀροτρεύς.
ἠδ' ὅτε μυκηθμοῖο περίπλειοι ἀγέρωντες,
ἐρχόμεναι σταθμόν δὲ βόες βουλύσιον ὥρην,
σκυθραὶ, λειμῶνος πόρεσι καὶ βουβοσίοιο,
αὐτίκα τεκμαίροντες ἀχείμεροι ἐμπλήσεσθαι.
οὐδ' αἶγες πρίνοιο περισπεύδουσαι ἀκάνθαις,
εὔδιοι, οὐδὲ σύες φορητῷ ὑπαργαίνουσαι.

καὶ λύκος, ὁππότε μακρὰ μονόλλυκος ὠρύητες,
ἢ ὅτ' ἀροτρήων ὀλίγον πεφυλαγμένος ἀνδρῶν
ἔργα κατέρχηται, σκέπαος χατέοντι ἐοικὼς
ἐγγύθεν ἀνθρώπων, ἵνα οἱ λέχος αὐτόθεν εἴη,
τρὶς περιτελλομένης ἠοῦς χειμῶνα δοκεύειν.
οὕτω καὶ πετέροις ὠθῇ σήμασι τεκμήραιο
ἐσσομένων ἀνέμων, ἢ χείματος, ἢ ὑετοῖο,
αὐτὴν, ἠὲ μετ' αὐτὴν, ἢ τριτάτην ἔτ' ἐν ἠῶ.

ἀλλὰ

Compellat caulas, monstrabunt adfore nimbos.

Bubus arator item trahit atro signa procellæ,
Lambere si lingua prima hos uestigia fortè
Viderit, aut dextrum prosternere corpus in armum:

Vel si prolixis auras mugitibus implent,
Pascua linquentes uix uespere.

dat Capra moti
Rursum signa poli, cum spinis ilicis atræ
Multa inhiat. docet hæc eadem Sus horrida, cœno
Gurgitis illuuie si sæpius inuoluatur.

Martius ipse Lupus uillarum proxima oberrans,
Assectansq; locos hominum, lectumq; laremq;
Sponte petens, crasso consurgere nubila cœlo
Præmonet.

Id parui cum ſtridunt denique Mures,
Cum geſtire ſolo, cùm ludere forte uidentur,
Portendunt: tibimet Canis in præſentia ultro
Tellurem fodiens. tamen hæc tamen omnia rerum
Adfore, uel primo nimbis mox Sole docebunt:
Vel cum curriculis lux ibi cœpta ſecundis,
Tertius aut uerſo cum uenerit ortus olympo.

Non ſpernenda tibi ſint ulla. ſed memor uni
Adde aliud ſemper: ſi tertia denique ſigna
Proueniant, firmo uenturum pectore fare,
Et tranſactorum ſolers componere menſum
Signa laborabis. ſi ſic fluxere reperta,
Nequaquam trepidare pudor perſuadeat ullos
Aſtrorum lapſus, aſtrorum protinus ortus.
Diſcute, ſi caſus ſimilis & ſtella per æthram
Prodidit exacti iam ſummæ crepuſcula menſis,
Et ſurgentis item primordia conſcius artis
Fare ſacræ menſum confinia ſumma duorum.
Cæca latent lucis hæc ſemper ſemet in octo
Inſcia lunaris tendunt facis. Ipſe fideli
Perquires ſtudio, & ſi quid tibi forte repertum
Pluribus indicijs, ſolers fulcire memento.

FINIS.

ἀλλὰ γὰρ οὐδὲ μύες τετριγότες, εἴποτε μᾶλλον
εὔδιοι εὐκίρτησαν, ἐοικότες ὀρχηθμοῖσιν,
ἄσκεπτοι ἐγένοντο παλαιοτέροις ἀνθρώποις.
οὐδὲ κύνες. καὶ γάρ τε κύων ὠρύξατο ποσσὶν
ἀμφοτέροις χειμῶνος ἐπερχομένοιο δοκεύων.
καὶ μὴν ἐξ ὕδατος καρκίνος ᾤχετο χέρσῳ
χειμῶνος μέλλοντος ἐπαΐσσεσθαι ὁδοῖο.
καὶ μύες ἡμερίοις ποσσὶ στιβάδα στροφῶντες
κοίτης ἱμείροντες, ὅτ' ὄμβρου σήματα φαίνοι
κἀκεῖνοι χειμῶνα μύες τότε μαντεύοντες.
τῶν μηδὲν κατόκνησε. καλὸν δ' ὠδὶ σήματι σῆμα
σκέπτεσθαι. μᾶλλον δὲ δυοῖν εἰς ταὐτὸν ἰόντοιν
ἐλπωρὴ τελέθοι. τριτάτῳ δέ κε θαρσήσειας.
αἰεὶ δ' ἂν παριόντος ἀριθμοίης γνιαυτοῦ
σήματα, συμβάλλων εἴπου καὶ ἐπ' ἀστέρι τοίη
ἠὼς αὐτέλλοντι κατέρχετο ἢ κατίοντι
ὁπποῖον καὶ σῆμα λέγοι. μάλα δ' ἀρκίον εἴη
φράζεσθαι φθίνοντος, ἐφισταμένοιό τε μηνὸς
τετράδας ἀμφοτέρας. αἳ γάρ τ' ἄμυδις συνιόντων
μηνῶν πείρατ' ἔχουσιν, ὅτε σφαλερότατος αἰθὴρ
ὀκτὼ νυξὶ πέλει χήτει χαροποῖο σελήνης.
τῶν ἄμυδις πάντων εὐκεμμένος εἰς γνιαυτὸν,
οὐδέ ποτε σχεδίως κεν ἐπ' αἰθέρι τεκμήραιο.

τέλος.

IOACHIMI PERIONÍJ Obseruationes in Aratum Ciceronis.

VIA carmina Arati, quæ à se Cicero admodum adolescentulo in secũdo de Natura deorum ait esse conuersa, non solum omnia quæ extant, infinitis propè erroribus liberaui, sed multis etiam uersibus, qui & ab illo in eo quẽ modo nominaui libro, & in primo de Diuinatione proferuntur, & à Vergilio conuersi sunt, eadem auxi & amplificaui: id quidem quibus in uersibus fecisset, quosq; errores correxisset, omnibus tradendum & aperiendum putaui. Sic enim & fructum eos ex nostro labore maximum consecuturos, & magnam me ab iisdem gratiam initurum esse speraui. Omnes igitur sic habeant, me cum nonnullis locis, tum uel maxime in prognosticis, quoniam Ciceronis ferè omnia interciderunt, à Vergilio conuersos uersus cum maxima diligentia nactus essem, eos suis locis accommodasse, ita tamen, ut qui Latini quibus Græcis respondeant, facile omnes intelligere possint. Non enim solum in eo elaborauimus, ut id quod in Timæo præstitimus, paginæ pagina, uerum etiam uersus uersui, quasi ex altera parte respõderet. Idq; in Ciceronianis etiam omnibus perfecimus. Sed ne magna interualla relinquere cogere-

mur, ubi Ciceronis & Vergilij deerant, Germanici Auieniq; uersus adiunximus. Nunc ad carmina ea enumeranda & expendenda, in quibus aliquid dignum esse uidebitur cognitione & admonitione, ueniamus. Nam lõgum esset de omnibus dicere. Ille primus omnium,

Εκ Διὸς ἀρχόμεσθα.) à Vergilio sic conuersus est in Damœta, Ab Ioue principium, Musæ. Tres autem uersus qui sequuntur, ab eodem in miram breuitatem redacti contractiq; sunt eam, qua uersum superiorem absoluit, Iouis omnia plena. Aratus singulas res enumerauit, quæ plenæ sunt Iouis, ut rura, ut cœtus hominum, ut maria, ut portus: in quo usus est copia & ubertate dicendi. Virgilius uno uocabulo uniuersa complexus est. Itaq; plura significauit quàm Aratus. Non est opus uersus Arati repetere, quoniam sunt in promptu. Narratio ab hoc uersu incipit,

οἱ μὲν ὁμῶς πολέες τε καὶ ἄλλυδις ἄλλοι ἐόντες
οὐρανοῦ ἕλκονται πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί.) In

horum priore ὁμῶς similiter ualet, per syncopam Doricam. Quod uocabulum Cicero extra uersum interpretatur in secundo de Natura deorum, Sine ulla mutatione aut uarietate. Hæc sunt enim eius uerba, Ergo, ut oculis aßidue uidemus sine ulla mutatiõe, aut uarietate,

Cætera labuntur celeri cœlestia motu,
Cum cœloq; simul noctesq; diesq; feruntur.) Vertit αἰεὶ πάντ' ἤματα, noctes que diesq;. Ex quo intelligi potest, non hæc duo eße prima carmina, à quibus incipit narrare Cicero, sed aliud anteceßisse, cuius principium

pium esset, Ergo. Intelligendum autem est, à Cicerone in libro de Natura deorum commemorari ea tantummodo carmina, in quibus signorum cœlestium fiat mentio. Quocirca Germanici Cæsaris quædam interijcienda fuerunt necessariò, ut interualla uitaremus, qui cũ hæc ipsa carmina in eo libro solo nacti simus, nec alibi potuerimus, ea quæ Cicero prætermisit, coacti etiam sumus prætermittere.

ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ ἐπίσπτος, οὐδ' ἀντίος ἐκ βορέαο

ὑψόθεν ὠκεανοῖο.) Hæc Vergilius his duobus in 1. Georgicorum transtulit, Hic uertex nobis semper sublimis, at illum

Sub pedibus styx atra uidet, manesq́; profundi.

δύω δέ μιν ἀμφὶς ἔχουσαι

ἄρκτοι ἅμα τροχόωσι.) Has duorum uersuum particulas in unum carmen Cicero conclusit.

Hunc circum ἄρκτοι duæ uertuntur.) In hoc uerbũ græcum reliquit, quod apud Græcos diphthongi οι, & αι, in plurali breues etiam sunt, & apud Latinos i longum in eodem loco. In alijs est scriptum feruntur, non aptè ad legem carminis. Vertuntur ergo restitui.

Quas nostri septem soliti uocitare triones.) Cicero hoc carmen addidit. ἡδ' ἑτέρη ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτησιν ἀρείων.) Hunc Cicero sic transtulit, Hæc uero parua est sed nautis usus in hac est. μὲν et ἀτὰρ inter se respõdent, quòd apud Oratores nunq̃ reperi. De hoc genere in cõmẽtarijs nostris multa diximus. ἀρείων ναύτησιν, Cic. dixit, usus in hac est nautis. Vsú ergo appella tcõmoditatẽ.

μείνη που μεφαλὴ τῇ νήχεται, ἦ χιπὸρ ἄκραι
μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀνατολαὶ ἀλλήλῃσι. Hos
duos his duobus Cicero conuertit,
Hoc caput, hic paulum sese subitoq́; recondit,
Ortus ubi atq; obitus partem miscentur in unam. Vitiosè in alijs scriptum erat, miscetur partim in uno, pro partem in unam miscentur. Est enim græcè μίσγονται ἀλλήλῃσι, id est, miscentur oriens & occidens inter se.

Attingens defessa uelut mœrentis imago.) Cicero ne cogeretur alios proferre uersus, in secundo de Natura deorum, casum solum illius Attingens addidit. Id autē caput, Attingens defessa &c. Atq; hæc duo uerba, Id caput, initium esse carminis quod prætermisit, arbitror. Id quod eo libro sæpe factitat. Hoc carmen illud sequitur apud Ciceronem, Vertitur,

Εν γόνασιν dicunt, genibus quod nixa feratur. In alijs multa adduntur, quæ leges impediūt carminis, Vertitur quam quidem Græci ἐν γόνασιν uocant, genibus quod nixa feratur. Ego Ciceronem adiecisse hæc omnia non puto, præsertim cum & carmina tota eodem libro proferre soleat, & huius principium ac finem dixerit. Sustuli ergo quæ obstabant, ut legitimi germanique carminis retineret locum.

Atq; oculos urget pedibus pectusq́; Nepai.) Vocat Nepam Scorpium. Neq; enim hoc toto libro eo latino utitur, cum sæpißime id transferat. Aut enim hoc quod hic usurpat semper, aut græcum σκορπίον.

Huic autem subter præcordia fixa uidetur

Stella

Stella micans, &c.) In alijs scriptum est, Huic enim Booti &c. Ego enim Booti sustuli, & autem restitui. Est enim apud Aratum δὲ, non γὰρ.

Et natos geminos inuises sub caput Arcti
Subiectus medio est Cancer, pedibusq; tenetur

Magnu Leo, &c.) In alijs exemplaribus scriptum est, Subiectus media, uitiose, ut apparet. Apud Aratum quidem est, μέσσῃ δ' ὑπὸ καρκῖνός ἐστι. quod Theon interpretatur de medio capite. Ait enim, hic ab Arato arctum distribui in tres partes, & capitis eam partem qua media linea ducitur (diametros autem appellatur) Geminis tribui, medium Cancro, pedes Leoni. Mediæ ergo non cohæreret, quoniam ad Arctum mediam non refertur, sed ad medium caput. Ac fortè græcus corrigendus est codex, in quo est μέσσῃ, præsertim cum κρατὶ, quod neutrius generis est, anteceßerit. μέσσῳ ego legam libentius.

Nanq; ipsum ad tergum Cynosuræ uertitur Arcti.) Cicero de Cepheo loquitur. Itaq; perperam & corrupte positum est in secundo de Natura deorum Cynosura, pro Cynosuræ. Idq; hinc etiã intelligi potest, quod apud Aratum est κυνοσούριδος in genitiuo, qui ad κατόπισθεν pertinet, sicut Cynosuræ ad tergum apud Ciceronem. Sed uersum ipsum etiã qui in promptu est, proferri est melius.

αὐτὸς μὲν κατόπισθεν ἐὼν κινοσούριδος ἄρκτου
κηφεὺς, ἀμφοτέρας χεῖρας τανύοντι ἐοικώς.) Quoniam partem hanc postremam huius superioris uersus in eo

libro quem sæpe nominaui, oratione soluta interpretatur, non erit hic alienũ eius proferre interpretationẽ, Minorem autem Septentrionem Cepheus paßis palmis à tergo subsequitur. Nanq; ipsum ad tergum, etc. Alij libri sunt hac etiam parte corrupti. Est enim scriptum in omnibus, terga subsequitur, &c. Minorem septentrionẽ. Nam aut minoris septentrionis terga subsequitur dicendum est, aut id quod posui.

Hunc antecedit Obscura specie stellarum Caßiepia.) In secundo de Natura deorum hoc totum positum est, Hunc antecedit obscura, &c. Ego id utrum ne à Cicerone dictum sit, an ab aliquo adiectum, quod deesse uerbum uideretur, ignoro. Certè in faciendis carminibus uerbum interdum non est uitiosum prætermittere. Quod hic nisi fiat, carmen stare non poterit.

Hanc subter poßis cognoscere fultum.) Hic primus uersus est eorum qui hodie extant in fragmento uersuũ quos Cicero transtulit. Eius principium omnino malui non adhibere, quàm id quod in alijs est exemplaribus, È quibus. Neq; enim apud Aratum fit de multis astris mentio, è quibus hic unus Aries (nam loquitur hic de Arietis signo) subter Andromeden fultus sit. disserit enim solum de Ariete & Andromeda. Si quod initium à Cicerone adiectum est, id esse arbitror Nam, uel, Quẽ paulum. ut hic plenus uersus Ciceronis,

Nam paulum hanc subter poßis cognoscere fultũ, illi Arati respondeat, ὀλίγον γὰρ ὑπ' αὐτὴν ἐστήρικτο. Ex quo uersu perspicuum est, deprauatum esse illum Ciceronis,

ronis, in quo Hinc subter legitur, in omnibus exemplaribus quæ quidem legerim. Est enim ὑπ' ἀντὶν, scilicet ἀνδρομέδην.

Iam cœli mediam partem terit, ut prius altæ.) In cæteris omnibus uitiosè positum est illæ pro altæ. Est enim apud Aratum ἄκραι, id est, altæ, superæ. Apud eundem est ἠχίπερ, quod ualet ubi quo loco Cic. ut pro eo dixit, nisi error sit.

Chelæ, tum pectus quod cernitur Orionis.) Tum enim dicendum, non cum. Est enim apud Aratum καὶ. Cicero autem ordinis uidetur habuisse rationem. Illud enim prius positum est ab eo pro primum, & in superiore uersu, & in hoc, tum pro deinde.

Et prope conspicies paruum sub pectore claro
Andromedæ signum.) In alijs sic legitur, Et prope conspiciens, &c. Ego dicendum esse arbitror, Et propè conspicies.

Huic spacio ductum simili latus extat utrunq;,
At nõ tertia pars lateris.) Hi duo Ciceronis, ijs qui sequuntur Arati respondent, τὸ δ' ἐπὶ τρισὶν ἐστάθμηται δελτωτὸν, πλευρῇσιν ἰσαιομένῃσιν ἐοικὸς ἀμφοτέρῃς, ἡ δ' οὔτι τρίτη. Ex his coniunctis collatisq; inter se carminibus intelligi potest, in græcis codicibus uitiosè legi, τόσῃ, pro τρίτη.

Andromedæ læuo ex humero signum
Ac positum suprà poteris cognoscere piscẽ.) Priorem uersum fine carere malui, quam eum habere qui in alijs corruptus est. Est enim hic finis, si qua exere per-

ges. In quo illud Si qua corruptum est, pro signum. Debet enim genitiuus piscis, si esset, ad signum referri, quē admodum apud Aratum ἰχθύ & ad σῆμα.

Et pedibus uatum summo natum Ioue Perseum,

Quos humero retinet defixo corpore Perseus.) Hi duo uersus exprimi non potest, quantum mihi negotij exhibuerint. Cum enim deprauatos eos in alijs esse animaduerterem, uix tamen coniungendis græcis cum latinis, adhibitis etiam commentarijs, inire rationem potui tandem, qua corrigi posent. Alijs autem existimare licebit, recte ne correxerim. In alijs omnibus ita erant, Ἐ pedibus uatum summo natus Ioue Perseus. Quos humero retinet defixo corpore Perseus. Horum posteriorem hum:ros non recte continere, & ego facile intellexi, & omnes mihi con cessuros arbitror. Illud enim Quos, refertur ad pedes Andromedæ, quos Perseus humeris sustinet. ἀντωμάδιοι enim ποδὲς dicuntur, quasi ἀντὶ τῶν ὤμων, id est, in humerū impositi. Cicero autem illud αἰεὶ, quod est apud Aratum, quodq; ualet semper, dixit, defixo corpore. At prioris non perinde facilis fuit explicatio. Nominatiuos illos non rectè cohærere posse puto. Illa etiam Ἐ præpositio quid efficiat, non uideo. Quò enim pertinet? quid efficit? Accusatiuos enim refero ad infinitiuum cognoscere, qui est in superiore uersu, ad quem ipsum & coniunctio coniungendo trahit. Id autem hinc etiam perspici potest, quod uerbum ἀντισημαίνουσι, quod est in priore horum duorum, transtulit in superiorem, in quo tamen à re ad perso-

personã retulit significationem. Ille autẽ ablatiuus Pedibus, ad præpositionẽ in uel sub intellectã pertinebit: ut intelligamus id quod dixi, Persei humero Andromedæ pedes sustineri. Nisi forte in illo ablatiuo pedibus, ex præpositionem intelligendam putamus. Nam Theon exponens hũc locum, illud ἐπισημαίνοιον γάμβρου Πέρσεως, ait figuram esse græcam, pro, pedes Andromedæ notant & declarant Perseum. Hæc autem oratio illi par est, ex pedibus Andromedæ Perseum cognoscimus. γαμβρὸν Cicero uertit natum. Theon uult hic idem uale re Aeolice, quod νυμφίον, id est sponsum.

At propter læuum genu' omni ex parte locatas
Paruas Vergilias tenui cum luce uidebis.) Miror omnes qui hunc librum impresserunt, non animaduertisse errorem, uel perspicuum maxime. Omnes enim genus non solum in his carminibus, uerum etiam in multis alijs sequentibus posuerunt. Quod eò dixi, ut quoties in hoc libro genu legerit quispiam, pro eo in cæteris notet positum esse genus. Quod Cicero dicit, propter læuum genu, est apud Aratum penè ad uerbum, σκαιῆς ἐπὶ γουνίδος.

Alcyone, Meropeq́;, Celeno, Taygeteq́;,
Electre, Steropeq́;, simul sanctißima Maia.) In alijs scriptum est Electra, falsò, ut intelligi potest. Nam est apud Aratum, ut ἀλκυόνη & alia, sic ἐλέκτρη per η.

Ipse autem labens multis Equus ille tenetur
Piscibus. huic ceruix dextra mulcetur Aquari.) Legendum est Huic potius quàm hinc, ut significetur ad quẽ

pertineat eius uis actionis. In alijs omnibus hos duos uersus subsequitur, Serius hæc obitus terrai iußit, cui nullus apud Aratum respondet. Itaque eum redundare arbitror.

Vt sese ostendens emergat Scorpios alte
Posteriore trahens flexum ui corporis arcum) In alijs bis erat, ostendens ostendat: emergat, dicendum est. Nam & ἀντέλλων est apud Aratum, & ita scriptū est in secundo de Natura deorum. Falso etiam scriptum est ferè in alijs omnibus, flexu se corporis arcum.

Iam supra cernes Arcti caput eße minoris.) Suprà dicendum est, non id quod est in alijs, supera. Apud Aratum enim est, ἀνωτέρω. Hic error per totum hunc librum fusus est. Semper enim in alijs pro supra positum est supera.

Lumborum tenus à palma depulsus ad undas.) In signis hic error in alijs omnibus grassatur. Nam pro à palma, positum est, à prima. Quem ego errorem nec intelligere nec corrigere potuissem, si græca cum latinis non contulissem. Apud Aratum est, ἀπὸ χαιρός. id est, à manu, & à palma.

Propter quadruplices stellas in fronte locatas.) In alijs codicibus est, præter. propter melius esse existimo. Est enim apud Aratum ἐπὶ τέτρασιν. Sæpe autem in hoc libro Cicero ἐπὶ propter, id est iuxta dicit.

At canis ad caudam serpens prælabitur Argo,
Conuersam præ se portans cum lumine puppim,
Non aliæ naues ut in alto pandere proras

Ante

Ante solent rostro, Neptunia prata secantes.
Sed conuersa retro cœli semper loca portat.
Sicut cum cœptant tutos constringere portus,
Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,
Aduersamq; trahunt optata ad littora puppim:
Sic conuersa uetus super æthera uertitur Argo.)

Hæc carmina ualde corrupta sunt in uulgatis exemplaribus. Nam & ei, cuius hoc principium est, Sicut cum cœptant, &c. hæc pars primi omnium quæ hic prolata sunt, subijcitur, At canis ad caudam: & in illo, Non aliæ naues, pondere positum est pro pandere. qui error inde natus est, quod uidebatur In alto, esse adiectiuum, itaque substantiuum esse oportere eius pondere, ut diceretur, In alto pondere. Sed substantiuum est. Nam, In alto, in mari dicitur, quod mare altum sit, id est profundum. Dicendum autem esse pandere, uerbũ Solent sequentis uersus indicat. In eo autem uersu illud ut, traiectum est carminis causa. Sensus enim est, Argo non portat præ se proram, ut aliæ naues solẽt in mari, sed puppim. Cicero ex uocabulo πρύμνοθεν carmen secundum fecit, Conuersam præ se portans cum lumine puppim. Vergilius in 1. Georgic. duo Arati carmina, eadem quæ hic Cicero conuertit, quæ sequuntur,

οἷα καὶ αὐταὶ
νῆες, ὅταν δὴ ναῦται ἐπιτρέψωσι κορώνην
ὅρμον ἐσερχόμενοι.

Ceu pressæ cum iam portum tetigere carinæ,
Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.) οἷα

ergo

ergo Vergilius ceu dixit, Cicero sicut. Vergilius ὅρμον ἐσέρχεσθαι, portum tangere: Cicero, constringere portus. Vergilius solus illud ἐπιτρέψωσι κορώνην expreßit, imposuere coronas. In alijs libris nisi ijs qui proxime in Vrbe excusi sunt, sic est principium postremi uersus, Sin conuersa uetus. Legendum est pro Sin, sic, ut respõdeat illi Sicut. Est enim à simili ductum argumentum, & apud Aratum est ὡς pro οὕτως.

Hinc una stella uertuntur, quam iacit ex se
Pistricis spina ualida cum luce refulgens.) In priore horum duorum præpostere legitur in alijs libris, hanc, ut facile apparet. Hinc autem aduerbium est ordinis, quo sæpe utitur Cicero, ostendens ordinem stellarum signorumq; cœlestium. Itaq; secundo ab hoc, dicit Exinde pro eodem. In posteriore etiam uitiosè positum est Spinæ, genit. uel datiui casus, etiam si datiui sit ἀκάνθῃ apud Aratum, ὃς κείνου πρώτῃ ἐπίκειται ἀκάνθῃ, id est, quæ stella illius scilicet pistricis primæ parti spinæ inhæret. Pistrix autem à Cicerone semper uertitur, quod est apud Aratum κῆτος, id est Cete.

Qui autem sequuntur Arati, sunt illi quidem integri, sed à Cicerone conuersi multo paucioribus,
μεσσόθι πηδαλίου καὶ κήτεος εἱλίσσονται,
γλαυκοῦ πεπτοῶτες ὑπὸ πλευρῇσι λαγωοῦ
νώνυμοι· οὐ γὰρ τοίγε τετυγμένου εἰδώλοιο
βεβλέαται μελέεσσιν ἐοικότες. Hi quidẽ rectè & ordine. In quarto νώνυμοι positum est pro ἀνώνυμαι. Cicero enim sic, His neq; nomen, Nec formã ueteres certam statuiße

tuisse uidentur. In quo illud Neq; nomẽ, ad illud νώνυμοι pertinet. & illud Nec formam, ad illud οὔτε εἰδώλοιο. Sed hæc rectè, ut dixi, & ordine. Quæ autem sequuntur, Cicero prætermisit,

οἷά τε πολλὰ
ἑξῆς στιχόωντα παρέρχεται κέλευθα
ἀνυμένων ἐτέων. Nam quæ sequuntur, paucioribus illis quidem, sed non minus elegantibus reddidit.

τά τις ἀνδρῶν οὐκ ἔτ' ἐόντων
ἐφράσατ' ἠδ' ἐνόησεν ἅπαντ' ὀνομαστὶ καλέσσαι,
ἤλιθα μορφόσας. οὐ γάρ κε δυνήσατο πάντων.
οἷα ἐκκεκριμένων ὄνομ' εἰπεῖν, οὐδὲ δαῆναι.
πολλοὶ γὰρ πάντῃ. πολέων δ' ἐπὶ ἶσα πέλονται
μέτρα τε καὶ χροιὴ, πάντες γε μὲν ἀμφιέλικτοι.
τῷ καὶ ὁμηγερέας γε ἐείσατο ποιήσασθαι
ἀστέρας, ὄφρ' ἐπιτὰξ ἄλλῳ παρακείμενος ἄλλος
εἴδεα σημαίνοιεν, ἄφαρ δ' ὀνομαστὰ γένοιντο
ἄστρα. καὶ οὐκ ἔτι νῦν ὑπὸ θαύματι τέλλεται ἀστὴρ,
ἀλλ' οἱ μὲν καθαροῖς ἐναρκτιότες εἰδώλοισι
φαίνονται. τά δ' ἔνερθε διωκομένοιο λαγωοῦ
πάντα μάλ' ἠερόεντα, καὶ οὐκ ὀνομαστὰ φέρονται.) Hos enim multos his septem expreßit. nisi fortè aliqui interciderunt.

Nam quæ sideribus claris natura poliuit,
Et uario pinxit distinguens lumine formas:
Hæc ille astrorum custos ratione notauit,
Signaq; signauit cœlestia nomine uero.
Has autem quæ sunt paruo sub cardine fusæ,

Con-

Consimili specie stellas pariliq; nitore,
Non potuit nobis nota clarere figura. Multa in his ut intelligitur, prætermisit, quæ Aratus dixit. In his igitur non curauit uerbum pro uerbo reddere, etiamsi in reliquis eum uideamus singula penè uerba interdum eodem ordine persecutum.

Voluitur inferior Capricorno piscis ad Austrum,
Pistricem obseruans, procul illis piscibus hærens.) In alijs codicibus his duobus uersibus hic antecedit, Exinde Australẽ soliti cõuincere Piscem: qui certe nec ad rẽ pertinet, nec alicui respondet Arateorum. Subsequuntur enim apud eũ hæc tria carmina, illud quod postremum protulimus, πάντα μάλ' ἠβρόεντα, καὶ οὐκ, &c.

νειότι δ' αἰγοκερῆος ὑπὸ πνοιῇσι νότοιο
ἰχθῦς ἐς κῆτος τετραμμένος ἠώρηται
οἷος ἀπὸ προτέρων. νότιον δὲ ἑ κικλήσκουσι. His autem tribus illa duo respondent. In priore pro piscis, legebatur, uersus. quàm male, hinc apparet, quòd in secundo Arateo est, ἰχθῦς ἐς κῆτος. Itaq; si piscis nomen tollatur, non erit res ulla subiecta. Quod Aratus tertio uersu dicit, οἷος ἀπὸ προτέρων, Cicero fecit planius, procul illis piscibus hærẽs. Loquitur enim de duobus piscibus, quos in zodiaco, id est signifero orbe collocauit. Quã quam uideri potest uersus ille prætermissus, illi Arateo respondere, νότιον δὲ ἑ κικλήσκουσι

At prope conspicies experteis nominis omnes,
Inter pistricem & piscem quem diximus austri
Stellas sub pedibus sparsas radiantis Aquari.) In alijs

lijs positũ est, stratas: ego restitui sparsas, quoniã uerbũ Arati id declarat. Est enim apud eum σποράδην.

Aſt omnes stellæ perhibentur nomine aquai.) Magnus in hoc est error. Primum in ueteribus omnibus principium huius est, Et enus. Quod cum uitiosum intelligerent ij qui proximè opera Ciceronis impresserunt, Et tenues, posuerunt: aptè illud quidem ad rationem carminis, sed ad sententiam non satis. Deinde in omnibus alijs, etiam hoc quem modo nominaui, positum est ultimum uocabulum, Aquari. Hos ego errores duos comperi, coniungens græca cum latinis. Huic enim Ciceronis ille Arateus respondet, τοὺς πάντας καλέουσι ὕδωρ. In qua parte uersus πάντας, quod omnes ualet, scriptum est non ὀλίγους. & ὕδωρ, non ὑδροχόον. Et certe stellæ de quibus hic disserit, sunt quæ cernuntur in ipsa aquæ effusione.

Atq; priora pedum subeunt uestigia magni
Arc. tenentis, &c.) In hoc error est ille quidem, sed ita euidens, ut mirer eum correctum fuisse à nemine. Est enim priore, in alijs omnibus, quod uerbum stare aut cohærere nullo pacto potest. Falli tamen potuerunt alij, quod illud ipsum priore, partitiue capi putarunt, ut cum dicimus, Manuum fortior est dextra. Sed eorum errorem conuicit Aratus, apud quem est, ὑπὸ προτέροισι πόδεσσι, id est, sub primis pedibus, id est, sub prima parte pedum.

Sin humeros medio in cœlo Centaurus habebit.)
In alijs omnibus est, Si numeros. Sed Aratea
decla-

declarant esse dicendum humeros. Est enim apud eum κενταύρου ὦμος.

Ille autem Centaurus in alta sede locatus,
Qua sese clarum collucens Scorpios infert,
Hac subter partem præportans ipse uirilem
Cedit, Equi & parteis properat coniungere Chelis.)

In alijs claro scriptum est, quod uerbum cum adiectiuũ sit, nec ad Scorpios, nec Centaurus pertinere possit, profecto falso ascriptum est. Perportans etiam uitiosè legitur. Præportans igitur dicendum est, quoniam hoc de Centauro dicitur, qui gerit speciem uiri & equi. quanquam illud perdurum est, idq; nisi error est, infersit, ut quasi rimas uersus expleret. Equi parteis dicit τὰ ἱππουραιὰ, id est, partes quibus equo similis est Centaurus, qui Chiron dicitur.

Verum hæc quæ semper certo uoluuntur in orbe
Fixa, simul orbes
Quattuor æterno lustrantes lumine mundum
Orbis stelligeri portantes signa feruntur

Amplexi terra, cœli sub tegmine fulti. Hoc postremum addidit Cicero, neq; enim quicquam eius est in Arato. in illo autem cuius principium est, Fixa, simul: non cohærent ea quæ sunt in cæteris. neq; ipsum ullo modo potui absoluere. Arateum hoc ei respondet, ἀπλανέων τάτε κύκλα, τάτ' αἰθέρι σήματ' ἐνισπεῖν. Et quod sequitur, ἤτοι μὲν τάγε κεῖται ἀλίγκια δινωτοῖσι. ἀλίγκια δινωτοῖσι σήματα appellat ea, quæ similia sunt orbibus, ut ait Theon.

Nam

Nam si nocturno cognoscens tempore cœlum,
Cum neq; caligans detexit sidera nubes,
Nec pleno stellas superauit lumine Luna,
Vidisti magnum candentem serpere circum:

Lacteus hic nimio fulgens candore notatur.) In alijs codicibus corruptum est primi uersus principium hoc modo, Nec sic. Si autem legendum esse docet Aratus, apud quem hic uersus incipit, εἴποτέτοι, id est, Si quādo. Nec etiam falso appositum eße putandum est, cum præsertim Aratus nihil tale adiecerit. In secundo posui detexit, pro detergit, quod in cæteris male scriptum est. Siquidem apud Aratum est scriptum,

εἴποτέ τοι νυκτὸς καθαρῆς ὅτε πάντας ἀγαυοὺς
ἀστέρας ἀνθρώποις ἐπιδείκνυται οὐρανίη νύξ. Nocte ea qua non detergit caligans nubes sidera, hominibus non apparent stellæ. quod uerba illa indicant, si Detergit legamus.

Quorum alter tangens Aquilonis uertitur auras,
Ora petens Geminorum, illustratum genu ardens
In sese retinens Auriga portat utrumq;.
Hunc supra, læua Perseus humeroq; sinistro
Tangit. ad Andromedam hic dextra de parte tenetur.) In primo uersu accusatiuus auras, ad illud tangens pertinet. In secundo illud, Illustratum genu ardens, ual de durum est, propter hæc duo adiectiua, Illustratum ardens, quorum ardens ad Auriga refertur, illustratum ad genu. Apud Aratum quidem est τὰ γόνατα κεῖται ἀρηρότος ἡνιόχοιο. Quod in nominandi casu Cicero dixit,

Ardens Auriga. Quod si ita est, in quinto loco positus est Trochæus. Sensus est igitur, Auriga ardēs, clarus & splendidus, portat utrunque genu illustratum, quod in sese retinet. Malim ego legere in genitiuo Aurigæ, ut uerbum portat ad Alter orbis pertineat. In quarto uersu, Hunc suprà læua Perseus, & cætera. Illud hunc, ad suprà præpositionem pertinet. Nam apud Aratum est, ὑπ' αὐτῷ. In alijs est scriptum læuæ in datiuo, cum læua ablatiui casus sit dicendum. Sensus enim est, Suprà hunc orbem Perseus tangit læua manu sinistróque humero.

Hunc octo in parteis diuisum noscere circum
Si potes, inuenies supero conuertier orbe
Quinq; pari spacio, partes tres esse relictas.)

In cæteris omnibus insignis & magnus error apparet. Scriptum est enim, Par tristis, qui error natus est ex trajectione & transpositione syllabarum. Nam si ex illo tristis posteriorem syllabam detrahas, addasq; ad illud par, fiet uocabulum partis, id est, partes: & tris, id est, tres, remanebit. Hoc etiam ex Arati uersu qui huic respondet, perspici potest, τὰ τρία δ' ἐν πρώτῃ, & cætera.

Ast alter medium subter secat hic Capricornum.)

Alij codices hoc in loco corrupti sunt. Repetitur enim uersus qui antecesit, hoc modo,

Arcitenens humeris connititur, illa recedens.

Tum hic sequitur,

Distribuēs medium subter secat hic Capricornum.

Prior uersus paulo suprà positus est omnino, nisi quod

quod pro Arcitenens est Anguitenens. Ex posteriore igitur illud Distribuens auferri, & pro eo, Ast alter, poni debet. Atque quo facilius hoc intelligatur, redundaré que ille uersus uideatur, duos uersus Arati cõuersos proferam.

ἀλλ' ὁ μὲν ἐν βορέῳ περὶ καρκίνου ἐστήρικται,
ἄλλος δ' ἀντιόωντι νότῳ μέσον αἰγοκερῆα
τέμνει, &c. Nulla fit hic mentio τοξευτῆρος, id est, arcitenentis. Hoc autem loco Aratus de duobus circulis disserit, quorum alter dicitur Aestiuus tropicus, alter brumalis. Itaque hos duos uersus Cicero conuertit hoc modo,

Alter ab infernis austri conuertitur auris,
Ast alter medium subter secat hic Capricornum.

Hosce æquo spacio directos sustinet axis.) In alijs Deuinctos uitiosum est. Apud Aratũ enim est ὀρθοὺς.

Vt nemo cui sancta manu doctißima Pallas
Solertem ipsa dedit fabricæ rationibus artem,
Tam tornare catè contortos poßiet orbeis,
Quàm sunt in cœlo diuino lumine flexi.) In tertio horum duo errores correcti sunt à me, qui sunt in cæteris. Ii autem nati sunt ferè ex inscitia eorum qui hos uersus primi impreßerunt. Nam cum postremum uerbum illud Orbis putarẽt eße nominatiui casus, adiectiuum contortos, etiam dixerunt contortus. Et quia nũquam poßiet legerant, d literam abeße existimarunt.

Quatuor hi motu cuncti uoluuntur eodem,

Sed tantum ſupra terras ſemper tenet ille
Curriculũ oblique inflexus.) In alijs libris primi uerſus horum principium eſt, Quatuor in motus. Quàm autem corruptum ſit, hinc intelligi licet, quòd Aratus diſſerens de quatuor circis & orbibus, de tropico æſtiuo, brumali, lacteo & ſignifero, de eorum ratione motus facit hoc loco mentionem,

καὶ τὰ μὲν ἀντέλλει τε καὶ ἀντία νεύθι δύνει
πάντα παραβλήδην, μία δὲ σφέων ἔστιν ἑκάστου
ἑξείης ἑκάτερθε κατηλυσίη ἄνοδός τε. Quæ tria carmina Cicero primo illo complexus eſt. Ac Aratus quidem numerum circorum ſibi repetendum non putauit, dixitq́;, καὶ τὰ μὲν πάντα. id eſt, Atq; hi quidem omnes. Cicero autem numerum etiam tradidit, dixitq́;, Quatuor hi cũcti. Nam ſi legamus, In motus eoſdem, omnis ſublata erit Arati ſententia. Nõ enim his orbibus niſi unum motum dedit, quòd ut ipſe ait, & Theon confirmat, unus his ortus unusq́; modo obitus ſit attributus. Idq́; Theon confirmat his ferè uerbis, ἕκαστος γὰρ τῶν κύκλων τὸ αὐτὸ σημεῖον ἔχει, ὅθεν ἀνατέλλει καὶ ὅπου δύνει. id eſt, Vnicuiq; enim orbium idem ſignum datum eſt, unde oritur, & ubi deſinit.

ἐν τοῖς ἥελιος φέρεται δυοκαίδεκα πᾶσι
πάντ' ἐνιαυτὸν ἄγων.) Cicero hunc uerſum paulo ſuprà ſic conuertit,

Nam gerit hic uoluens bis ſex ardentia ſigna. Vergilius autem in primo Georgicorum ſic, ut mihi quidem uidetur,

Idcir

Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per duodena regit mundi sol aureus astra.

Hic quantum terris conuexus pellitur orbis.) In alijs omnibus sic, Hic quantus terris consectus, etc. Hunc sic corrigendum, ut correxi, id declarat, quod apud Aratũ est ὅσσον, cui respondet in sequenti uersu τόσσον. Conuexus etiam dici oportere docet Theon, qui exponens λοιὸς, quod uerbum usurpat hic Aratus, scribit his uerbis, λοιὸν ὀρθῶς εἶφη τὸν ὁρίζοντα. τῷ μὲν γὰρ ἔξωθεν νοουμένῳ λυγρὸς φαίνεται, τῷ δὲ ἔνδοθεν καὶ ἀπὸ γῆς λοιὸς. id est, Recte concauuum orbem finientem appellauit. ei enim qui extrinsecus eum inspexerit, conuexus: qui uero intrinsecus & ex terra, ei curuus & concauus apparet. Cicero autem quasi esset λυγρὸς, uel extrinsecus eum orbem consideraret, ita dixit conuexum.

Sex omni semper cedunt labentia nocte.) In cæteris omnibus est Omnes. Leuis error est, sed corrigendus tamen. Nam apud Aratum est scriptum πάσῃ ἐπὶ νυκτί.

Hoc spacium tranans cæcis nox conficit umbris.) In alijs ita, Huc spacium tranans cæcis nox conficit umbris. Apud Aratum est τόσσον, pro quo dicit, hoc spacium, quoniam tantum spacium non potuisset dicere. Nox legendum esse, ex Arato etiam perspici potest. apud quem legitur, νὺξ αὐτῇ τετάνυσται, quod Cicero conuertit, Nox cæcis umbris conficit.

Hæc obscura tenens conuestit sidera tellus.) Huic carmini Ciceronis illud Arateum tantummodo respondet, ὧς οἱ μὲν λώουσι. Quæ præterea dixit Cicero, rei de

clarandæ solum causa addidit, more poetarum. Est hic transitio. Transit enim ab his stellis quæ occidunt, ad eas quæ oriuntur. In alijs libris subsequitur hic uersus, Dimidiam retinet stellis distincta Corona. qui quidem paulo suprà anteceßit, quem sequitur uersus cuius primum uocabulum substantiuũ est illius Dimidiam. Partem etiam suprà atq; alia de parte repulsa est. Iam & suprà ostendi, uersum unum non tam traiectum quàm bis dictum fuisse. ex quo perspicuum est, hos uersus miris nouisq; modis fuisse corruptos.

Sed cum de terris uis est patefacta Leonis.) Huic respondet illud solum apud Aratum, ἐρχομένῳ ἢ λέοντι. Ex quo intelligi & coargui potest error, qui in alijs omnibus inhæsit. Est enim, par facta uis, pro ἐρχομένῳ. Hæc autem duo ἐρχομένῳ λέοντι, non aliud declarãt quàm Exoriente Leone. Id quod dixit carminis causa Cicero, Cum uis est patefacta Leonis.

Omnia quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata, simul uis maior.) Ego hunc uersum malui fine carere, quàm eũ habere, qui falso ascriptus est. Nam in cæteris est scriptum, Vis maior aquari, pro quo apud Aratum est, αἰετὸς. Neq; enim mentio fit ὑδροχόου. Quod quo facilius intelligatur, proferã uersus Arati,

ἐρχομένῳ δὲ λέοντι, τὰ μὲν κατὰ πάντα φέρονται,
καρκίνῳ ὅσ' ἐδύοντο, καὶ αἰετὸς, &c. Itaq; si diuinare licet, quis sit eius uersus finis, mihi quidem uidetur hic adiectus à Cicerone, Vis maior æeti, ut græcum usurpaße uideatur. Neq; enim diuinare possum quo in casu

nomen Aquilæ posuerit, cum præsertim extremo uersu cohærere non poßit. Et tamen propter similitudinem uocabulorum Aquari pro illo adiectum eße arbitror.

Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbra.) In cæteris pro Lepus, simul scriptum est. Græca declarãt ita legendum eße, ut posui,

πάντα γέ μιν ἀτέλεστα διωκομένοιο λαγῶϐ.

Inferiora cadũt Aurigæ.) Hic uersus non uidetur rectè & aptè respõdere græco: est enim omnino dißimilis,

ἀλλ' ὀχ ἡνιόχῳ ἔριφοι, ὀδ' ὠλενίη αἰξ

εὐθὺς ἐπέρχονται. Itaq; corruptum eum eße arbitror, & uerũ ac germanum intercidiße cum duobus aut tribus, qui hoc loco desiderantur. Versus quidem cuius hoc principium est, Crus dextrumq́; pedem: & alter cuius principium, In loca, subsequebantur: sed eos suis locis restituendos curaui. Tres enim qui extant, & unus qui non extat, debent antecedere qui sequuntur,

Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigã, instantemq́; Caprã, paruos simul Hœdos,
Et magnam antiquo depellens nomine Nauem.

Tum sequuntur ij duo qui antecedebant,

Crus dextrumq́; pedem, linquens obit infera Perseus
In loca, tum cedens à puppi linquitur Argo.

Obruitur Procyon, emergunt alites una.) In alijs, Obruitur Procyon, emergũt alite lapsum. In græco est, τὰ δ' ἀνέρχεται ἄλλα, ὄρνις αἰητός τε. Ego posui alites una, ut græcos Cicero imitatus esse uideatur. es enim faciũt breue in quinta inflexione.

Nunc ad prognostica ueniamus. Ex his pauca sunt Ciceronis, quæ ex primo de Diuinatione translata suis locis accommodaui: plura Vergilij, sed non omnia quæ ab Arato transtulit. Quocirca non est mihi dubium, quin si quis græca Arati cum Latinis Vergilianis coniungat, alia inuenire possit.

Atq; etiam uentos præmonstrat sæpe futuros
Inflatum mare, cum subito penitusq; tumescit,
Saxaq; caua salis niueo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere uoces:
Aut densus stridor cum celso é uertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsus.) His sex uersibus Cicero quatuor hos ab Arato transtulit,

σῆμα δέ τοι ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα
γιγνέσθω, καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες,
ἀκταί τ' εἰνάλιοι, ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι
γίγνονται, κορυφαί τε βοώμεναι ὄρεος ἄκραι.

Hos etiam Vergilius in primo Georgicorum conuertit. Itaq; non alienum erit hic uersus eius attexere,

Continuo uentis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Littora misceri, & nemorũ increbrescere murmur.

Quanquam hoc postremum. Et nemorum increbrescere murmur, non est apud Aratum, sed apud Hesiodum, καὶ πᾶσα βοᾷ τότε κήρετος ὕλη.

Et ueterem in limo ranæ cecinere querelam.) Cui hic uersus Vergilij Arateo responderet, diu multumq; dubi-

dubitaui. Sed tandem Theon omnem ex animo eiecit dubitationem. Ait enim, ὕδροισιν ὄνειαρ, in hoc uersu Arati,

ἢ μᾶλλον δειλαὶ γενεαὶ ὕδροισιν ὄνειαρ

αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων, ranas dici ab Arato, quod id genus serpentis ranis cibaria præbeat et ministret. Itaq; nomine δειλαὶ γενεαὶ, ranas intelligere debemus. Vergilius quidem hos duos Arati uno complexus est uersu. Cicero his pluribus,

Rana fluens, idem fugiens ex gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas.
Aut modicos tremulo fundens ex gutture cantus,
Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen.

Et matutinis Acredula uocibus instat.) A Cicerone ὀλολυγὼν acredula dicitur. Fulicas etiam Vergilius appellat aues, quas Aratus αἰθυίας uocat. Eas tamen mergos nominant, ij qui uerborum græcorum dictionaria concinnarunt, cum mergi græcè ab Arato ἐρωδιοὶ appellentur, si modò Vergilij sententiæ nostram ascribere uelimus. Transtulit enim his uersibus,

Cum medio celeres reuolant ex æquore mergi,
Clamoremq́; ferunt ad littora, cumq́; marinæ
In sicco ludunt fulicæ. notasq́; paludes
Deserit, atque altam supra uolat ardea nubem:

hos Arati,

καὶ δ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον
ἐξ ἁλὸς ἔρχηται φωνῇ περὶ πολλὰ λέληκώς.
πολλάκι δ' ἀγριάδες νῆσσαι, εἰ εἰν ἁλὶ δῖναι

αἰθυιαὶ χερσαῖα τινάσσονται πτερύγεσσιν,
καί ποτε καὶ κέπφοι, ὁπότ' εὔδιοι ποτέωνται. Ex quibus non solum id quod dixi perspicuum est, sed quam etiam auem Aratus κέπφον dicat, eam ardeam à Vergilio nominari. Quod eò dixi, quòd in dictionarijs κέπφος tantum exponitur esse auis leuis, quæ facile à uento impellitur. Ex quo quæ qualis que illa sit auis, intelligere nemo potest. Ergo si græca cum latinis diligenter coniungeremus, multorum uerborum græcorum, quæ isto modo exponuntur, inueniremus interpretationem. Id quod etiam hoc loco in alio uerbo perspici potest. ἐρωδιὸς enim, latinè etiam erodios in dictionarijs ponitur, diciturq; esse auis. Hæc autem carmina Aratea nõ sunt ita coniuncta inter se & hærentia, ut exposui: sed mihi uisum est ea separata & distantia paruulis interuallis coniungere, ut Vergilianis responderent.

Fuscaq; nonnunquam cursans per littora cornix
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.) Sic Cicero sequentes uersus Arati transtulit,

ἤπου καὶ λακέρυζα παρ' ἠιόνι προχοῦσῃ
χείματος ἀρχομένου χέρσῳ ὑπέκειψε κορώνῃ,
ἤπου καὶ ποταμοῖο ἐβάψατο μέχρι παρ' ἄκρους
ὤμους ἐκ κεφαλῆς, ἢ καὶ μάλα πᾶσα κολυμβᾷ,
ἢ πολλὴ στρέφεται παρ' ὕδωρ παχέα κρώζουσα.) Cicero duobus quinq; Aratea carmina conclusit. Vergilius totidem reddidit, ita tamen, ut duo prima Cornici, reliqua omnibus marinis auibus attribuerit. Prima duo sequuntur,

Tum

Tum Cornix plena pluuiam uocat improba uoce,
Et sola in sicca secum spaciatur arena. Reliqua tria proxime ante superiora duo apud eum ponuntur,
Certatim largos humeris infundere rores,
Nũc caput obiectare fretis, nunc currere in undas,
Et studio incaßum uideas gestire lauandi.
καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο
οὐρανὸν εἰσανίδοντες, ἀπ' αἰθέρος ὠσφρήσαντο.) Hæc duo Arati his totidem Cicero reddidit,
Mollipedesq́; boues spectantes lumina cœli,
Naribus humiferum duxere ex aere succũ. Sic hæc Vergilius in eo libro in quo cætera, conuertit,
Aut Buccula cœlum
Suspiciens, patulis captauit naribus auras.
Cicero in libro 1. de Diuinat. ex quo hæc omnia proprognostica transtulimus, tribus carminibus ad Ranas auertit orationem: quæ cui loco accommodari debeant, prorsus ignoro. Nam si ea cum his quatuor coniunxisset, quæ de ranis suprà protuli, ego quoq; ea ad illa accommodassem. Nũc cum ea seiunxerit, multaq́; alia interiecerit, quoniam constat illius esse interpretationis, ea hic adiungere malui, ut omnibus qui hæc legerint, liceat quid sentiant exponere.
Vos quoq; signa uidetis aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere uoces,
Absurdoq́; sono fontes & stagna cietis. In his autem sermonem eum ad ranas auertisse, hæc quæ in eo libro sequitur, declarat oratio: Quis est qui uidere ra

re ranunculos hoc, suspicari posit? Sed inest mira et ranunculis quædam natura significans aliquid, per se satis certa, cognitioni autem hominum obscurior. Hæc ille. Nisi forte culpa librariorum traiecta longius & separata hæc sunt carmina. Quod mihi uidetur ueri simillimus. Nam Cum Aratus ranarum mentionem non faciat in Prognosticis, nisi ijs in uersibus, quos suprà exposui, quid Ciceroni in mentem ueniret, duobus locis de ranis dicere? Hi ergo mihi uidentur ad superiores pertinere.

Hæc habui de uersibus coniungendis græcis Arati, cum latinis Ciceronis & Vergilij, quæ dicerem. Nam præterea multos Vergilij, quos ab Hesiodo Homero & Theocrito transtulit, commemorare possum, sed hæc satis multa sunt hoc tempore, præsertim cum id unum onus sustinendum susceperim, & multos sciam fore, qui his nostris adducti, se ad similem laborem conferent. Hi tamen sic uelim habeant, cum apud Vergilium multa eorum quos modò nominaui carmina cõuersa sint, tamen nullius tam crebra inueniri posse, quàm ea sint quæ ab Arato transtulit. Quæ enim his commentationibus nostris protulimus, ea propè omnia duabus paginis est persecutus. Quòd si usum esset ea quæ ab Arato Angelus Politianus transtulit, adhibere, plura Latinorum carmina Arateis græcis respondissent. Duæ enim aut tres potius paginæ Rustici eius extremæ refertæ sunt prognosticis Arateis, quorũ pleraq; Cicero & Vergilius transtulerunt. Nunc mihi hi

duo

duo Latini sermonis principes satis multi uisi sunt ad rem declarandam, ne uiderer, uel id quod uulgo dicitur, Cornicum oculos configere, uel certe hunc cum illis uelle comparare. Quanquam quibus locis Ciceronis Vergilijq; nulli uersus extabant, Germanici Cæsaris, & Rufi Auieni adhibui: ne, ut antè dixi, magna crebraq; interualla relinquere cogeremur. Eorũ autem uersus cũ Græcis cẽiungere nolui, partim quod infinitũ fuisset opus, partim quod minus necessariũ. Hoc tamen unum dicam, qui eorum uersus cum ijs qui antea excusi erant, conferent, eos facile, quàm hi nostra diligentia quàm alij emendatiores sint, intellecturos. Hoc autem omnes admonitos uelim, qui Aratum Græcũ quem quidem edimus, legerint, ut quibus locis interualla quædã interiecta græcis uiderint, ne quid deesse putent. Nam cum Latinorũ qui illum transtulerunt, uersus studiosorum causa adhiberemus in altera pagina, factum est, ut quoniam non semper uersus latinus græco, nec græcus latino respondebat, utrobiq; interdum spacia relicta sint necessariò.

FINIS.

OBSERVATIONVM IN CIC. de Vniuersitate, & Arati Phænomena,

INDEX.

ac quidem 60
acredula 225
αι diphthongus in plurali breuis 203
αἰθυῖαι 225
altum pro mari 211
ἄλυτον 69
Arati multa etiã à Politiano uersa 228
ardea 226
atq; quidem 60
ἀέπφος 226
cete, κῆτος 212
Cicero in Oeconomico Xenophontis 79
Ciceronis de Vniuersitate lib. ex Timæo Platonis cõuersus. 61. 60. 62. 63. 64
Ciceronis locus. 65. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 77. 78. 202. 204. 205. 206. 215. 216
Ciceronis Timæus, pro De uniuersitate 79
dia-
diametros 205
ἀδὶ 210
ἐπωμάδιοι 208
ὀρωδιὸς 226. 225
exinde 212
expers Ciceroni nunquam cum ablatiuo 69
fulicæ 225
γαμβρὸς 209
γὰρ 77
helicis inflexio 68
ἧχί περ 207
ἱππουραιὰ 216
ὄθεν 67
οἷα 211. 212
ὁμῶς 202
ὅρμον ἐπέρχεσθαι 212
ὡς pro οὕτως 212
indissolutum. indissolubile 69
μὲν, ἀτὰρ 203
μὲν οὖν 60
mergi 225
μετα-

INDEX.

μεταριθμεῖσθαι 78
nepa 204
noctesq́; diesq́; 202
νομίσας 64
Nonij Marcelli locus 79
οι diphthongus in plurali breuis 203
ὀλολυγὼν 225
participijs raro uti Ciceronem 64
pistrix 212
Politiano multa ex Arato uersa 228
præstat 64
propter, pro iuxta 210
requisitum 62
τε 63
tum deniq;, cum 72
Virgilij locus. 202. 203. 211 220. 214. 226. 227 inde
Vergiliani uersus multi ex Græcis translati 228
usus 203

ERRATA.

Pag. 60. uers. 23. At. quod 61. 19. explicata & ult. patiatur 63. 4. præsertim cum & 6. nihil & 22. uel quæ 64. antepenult. ex æquo & ult. dele, est, 68, 22. uocantur 75. 9. esset 229. 8. coniungere

BIBLIOT. UNIWERSYT. w POZNANIU